


A
102

VINDICIAE
LIBRORUM INIURIA SUSPECTORUM.

INSUNT:

I. *Epistola critica de vetere diurnorum actorum fragmento Dodwelliano data ad Virum Amplissimum Victorem Le Clercium, Parisiensem;*

II. *Defensio Cornelii Nepotis contra Aemilium Probum, librarium.*

SCRIPSIT

G. E. F. LIEBERKUEHNIUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE BACCALAUREUS, IN GYMNASIO SAXONICO-WIMARIENSI PROFESSOR.

LIPSIAE,

PRODIIT IN LIBRARIA F. C. W. VOGELII.

MDCCCXLIV.

VIRIS PERILLUSTRIBUS

HENR. CAROLO FRIED. PEUCERO

UTRIUSQUE CONSILII SAXONICO-WIMARIENSIS SACRI, ET QUOD WIMARIAE ET QUOD ISENACI CONSTITUTUM EST, PRAESIDI, ORDINIS VIGILANTIAE SEU FALCONIS ALBI EQUITI ETC. ETC.

ET

JOSEPH. VICTORI LE CLERCIO

INSTITUTI FRANCOGALLIAE MEMBRO, FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS DECANO, ORDINIS LEGIONIS, QUAE AB HONORE DICITUR, CENTURIONI ETC. ETC.

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

VIRI ILLUSTRISSIMI!

Nolite mirari, quod ego in fronte hujus libelli splendida Vestra nomina posuerim. Nec pauca erant nec levia, quae ut talia auderem suaderent. Nam alteri Vestrum longa me beneficiorum memoria obstrictum sentio, ad alterum studiorum similitudo trahit. Non enim est, quod celem, *Peucere*, quanta beneficia, quantam benevolentiam Tu mihi per totam fere meam vitam tribueris. Tu me, quum discipulus adhuc Gymnasii essem, filio Tuo natu minori, Aemilio, quem strenuum ac sollertem juridicum nunc civitati nostrae prodesse gaudemus, praeceptorem statuisti; Tu me in academia degentem muneribus nec paucis nec

contemnendis ornasti; Tu mihi, quum praeceptor huc vocarer, non defuisti; Tu me hic in Gymnasio doctorem commendatione et tutela Tua auxisti. Quid, quod aliae quoque cum domo Tua Clarissima intercedunt mihi necessitudines. Amicitiae, cum filiis Tuis, Alphonso et Aemilio, qui ambo patris gloriam haud deficiunt, jam diu contractae et valent et valebunt. Taceam, quae Tu Senatus Ecclesiastici Praeses Gymnasio nostro et profuisti et prodes; taceam, quae de re publica nostra bene meruisti, quae omnia tam multa sunt et tam magna, ut orationis meae exilitas assequi nequeat. Quas vero ego Tibi, Amplissime Vir, debeo gratias privatas, quae sane sunt maximae, harum libellum huncce testem accipias quamvis debilem atque exiguum, tamen publicum ac sincerum.

Quid jam Tibi dicam, Vir Illustrissime, *Clerci!* Quem ego in hoc ipso libro, quem Tibi dedico, adversarium impugnaverim. Attamen alia erit, sic equidem spero, haec nostra lis, quam hominum quorundam illiberalium, animi pusilli et contracti, qui omnem litterarum pugnam in maledictis inesse putant, qui quum irae obsequuntur, animi et lumen et sensum honestum

obcaecant, quum minutias sectantur verborum, rerum summas non intelligunt, quum res carpunt, personas laedunt. Qualem nostram litem fore non spero. Equidem, quamvis in causa perspectu difficiliori a Te dissentiam, nihil impeditus sum, quin et scriptorum Tuorum egregiam virtutem agnoscerem et personae Tuae dignitatem suspicerem. Itaque certo scio, priorem dissertationem, in Temet ipsum conscriptam, Tibi haud odiosam fore; quin ne alteram quidem de Cornelio a studiis Tuis alienam esse mirum quantum gaudeo. Nam fortuito his ipsis diebus ex diurnis litterariis perspexeram, Te jam anno MDCCCXX ad Cornelii Nepotis editionem Descuretianam notas et excursus concinnasse. Quem librum Tuum etiamsi non vidi, tamen Te ne ab his quidem meis studiis abhorrere, et laetor et glorior.

Vos vero ambo, Viri Summi, *Peucere* et *Clerci*, nolite mirari, quid sit, quod ego Vos, diversorum populorum viros, ita hujus libelli titulo in conjunctionem quandam vocaverim. Nam videbar id mihi meo quodam jure facere, neutrumque Vestrum hoc aegre laturum esse certo sciebam. Nam ut Tu, *Peucere*, scriptis Tuis elegantissimis apud Francogallos inclaruisti, ita Tu,

Clerci, apud Germanos nomen Tuum celebre fecisti. Accedit, quod Tu, *Peucere*, per legationis vices longius ipse Parisiis degens vel connubium cum illo populo iniisti.

De libro meo ipso pauca praemonenda habeo. Priorem dissertationem aliquanto accuratius et meditatus sum et conscripsi, quam alteram, quam festinantius, quum prioris scripti plagulae jam typis paene excusae essent, ex schedis meis concinnavi. Nam bibliopola, vir de litteris humanioribus optime meritus, Vogelius, tum denique hanc alteram disputationem adjicere priori consilium ceperat. Attamen ne sic quidem puto ea, quae nova argumenta ad quaestionem illam attuli, veritatis vi carere, quamvis forma, qua proferuntur, minus sit limata. Quare lectores, quae in levioribus peccaverim, facile excusabunt. Unum tantum addendum habeo. Uterque hujus voluminis libellus habet quasi antecursorem suum, ex quo provenerit. Ita epistola de diurnorum fragmento eo nititur programmate, quod de diurnis MDCCCXL edideram et quod Jenae apud Frommannum prostat. Defensio illa Cornelii Nepotis recurrit ad eas quaestiones, quas anno jam MDCCCXXXVII apud

Wuttigium de vero auctore vitarum, quae sub nomine Cornelii feruntur, Lipsiae ediderâm. Sic tamen utraque hujus libelli dissertatio instituta est, ut per se sit absoluta satisque etiam sine altera, ex qua provenit, stare possit; minime vero hoc libro ea, quae jam prius scripseram, recoxi argumenta.

Ita accipite Vos, Viri Amplissimi, *Peucere* et *Clerci*, benigne hujus munusculi oblationem, et quae erraverim eadem indulgentia ignoscite, qua ceteros lectores mihi esse condonaturos spero. Valete et mihi favete.

Scripsi WIMARIAE III. die mensis Aprilis
MDCCCXLIV.

ERNESTUS LIEBERKUEHNIUS.

EPISTOLA CRITICA

DE VETERE DIURNORUM ACTORUM FRAGMENTO

DODWELLIANO

SCRIPTA

AD

VIRUM AMPLISSIMUM

VICTOREM LE CLERCIUM

PARISIENSEM.

VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

VICTORI LE CLERCIO

PARISIENSI

S. Q. P. D.

ERNESTUS LIEBERKUEHNIUS

WIMARIENSIS.

Nescio quis casus meus est, non quidem deplorandus, ut, quae spuria esse injuste accusentur scripta, antiquitati, cujus sunt, restituere coner. Ita nuper vitas imperatorum excellentium Aemilio Probo eripere et Cornelio Nepoti, cui jam Lambinus et communis plurium saeculorum assensus tradiderat, quum denuo vellent quidam ad Probum eas detrudere, omnibus viribus restituere enisus sum. Jam nunc ea fragmenta, quae Pighius et Dodwellus inprimis aliique passim scriptis suis evulgarunt, quae summi viri ut egregium antiquitatis monumentum admirati sunt, quorumque ego nuper patrocinium in programmate *de diurnis actis* edito non suscepi quidem, despondi tamen, contra injustas impugnatorum suspiciones defendere mihi in animo est.

Haec srcibenti mihi venia petenda est a *Te*, Vir Amplissime, *Clerci*, qui longe doctissimus, solertissimus et disertissimus illorum actorum recentiori tempore exstitisti adversarius [1]). Venia quidem petenda, quod audacius

1) In libro optimo: ,,Des journaux chez les Romains, recherches précédées d'un memoire sur les annales des pontifes et suivies de fragments des journaux de l'ancienne Rome; par J.-Vict. Le Clerc, Membre de l'Institut de France, Doyen de la faculté des lettres de Paris. Paris, libraire de Firmin Didot frères, 1838.

fecisse videar, qui me Tibi, Viro Summo, ita opposuerim. Attamen, quod Tu ipse nuper mihi indicare videbaris humanissimis litteris, facile me poterit excusare hoc, quod in litteris nullius auctoritas debet tantum valere, quin eam impugnare vel imbecilliori liceat, modo veritatis sensu ducatur. Quare Tu meam scriptionem, quae in Te maximam partem est directa, qua es humanitate, benigne excipies, nec id aegre feres, quod es Tu a me inprimis petitus.

Qui enim facere poteram aliter? Nam qui acta illa volet antiquitati vindicare, ei Tu ante omnes et instar omnium devincendus eris. Quod num efficere potuerim, dubito, me voluisse facile concedo. Quodsi vero Tibi succubuerim, nihil id testimonii erit, acta ista spuria esse judicanda; id tantum probabit, me viribus Tibi vix satis parem fuisse. Tamen id mihi solatio erit excitasse scriptione mea viros, qui aut quod verum equidem judico, suffragio suo haud dedignentur adjuvare, aut nova quaedam ad rem nostram afferant nostris veriora. Equidem certe id nullo modo pati nec poteram nec volebam, ut egregium antiquitatis documentum eam ob causam sperneretur jaceretque in multorum oblivione, quod iniqua suspicio nonnullorum quamvis doctorum hominum laesisset. Ita enim ingenium hominum fert, ut maxima bona sibi ipsi eripiant nulla alia de causa, quam quod maligne in suspicionem trahunt.

Sed quid multis? Jam ipsa acta apponam, ne lectoribus reconditiori loco quaerendi necessitas imponatur. Subnotavi discrepantes Vossiani apographi lectiones, aliorumque passim emendationes et meas qualescunque conjecturas.

FRAGMENTUM I.

V. K [1]. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
OVE. FECIT. LAVREATVS [2].
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS [3]. IN.
HOSTILIA. S. C. FACTVM. EST. VTI [4]. PRAETORES.
EX. SVIS. PERPETVIS. EDICTIS. IVS. DICERENT.
Q. MINVCIVS [5]. SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI.
A. P. LENTVLO. APVD. CN [6]. BAEBIVM [7]. PR [8].
VRB. DEFENSVS. A. C. SVLPICIO [9].
SENTENTIIS. CONDEMNATVS. XV.
AMPLIATVS XXXIII.

1) KAL., Voss. 2) LAVRENTIAE, Voss., quod multo rectius videtur. 3) Voss. add. EST. 4) S. C. FACTVM. VT, Voss. 5) MINVTIVS, Voss. 6) GN, Voss. 7) BOEBIVM, Voss. 8) PRAETOREM, Voss. 9) SVLPITIO, Voss.

FRAGMENTUM II.

IV. K [1]. APRILEIS.
FASCEIS. PENES. LICINIVM.
FVLGVRAVIT [2]. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA.
IN. SVMMA. VELIA. PAVLLVM [3]. A. MERIDIE.
RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET.
CAVPO [4]. AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER.
SAVCIATVS.
C. TITINIVS [5]. AED. PL. MVLCAVIT [6]. LANIOS.
QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO.
NON. INSPECTAM.
DE. PECVNIA. MVLCATITIA [7]. CELLA. EXSTRVCTA.
AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

1) KAL., Voss. 2) FVLMINAVIT, Voss. 3) PAVLVM, Voss. 4) Deest in Voss. apographo. 5) TINTINIVS, Voss. 6) MVLTAVIT, Voss. 7) MVLTATICIA, Voss.

FRAGMENTUM III.

III. K [1]. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI.
POSTVMIVS [2]. TRIB. PLEB. VIATOREM. MISIT.
AD. COS. QVOD. IS [3]. EO. DIE. SENATVM.
NOLVISSET. COGERE.
INTERCESSIONE. P [4]. DECIMII [a]. TRIB. PLEB.
RES. EST. SVBLATA.
Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE.
ARGENTARIAE. AD. SCVTVM. CIMBRICVM [5].
CVM. MAGNA. VI. AERIS. ALIENI. CESSIT.
FORO.
RETRACTVS. EX. ITINERE. CAVSSAM [6].
DIXIT. APVD. P. FONTEIVM. BALBVM.
PRAET [7]. ET. CVM. LIQVIDVM. FACTVM.
ESSET. EVM [8]. NVLLA. FECISSE.
DETRIMENTA. IVSSVS [b]. EST. IN. SOLIDVM.
AES. TOTVM. DISSOLVERE.

1) KAL., Voss. 2) POST., Voss. 3) Abest in Vossiano apogr. 4) PVB., Voss. 5) CYMBRICVM, Voss. 6) CAVSAM, Voss. 7) PRAETOREM, Voss. 8) ILLVM, Voss. a) Reynes. DECIMI. b) IVS, Reynes.

FRAGMENTUM IV.

PRID. K [1]). APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.
IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.
INCENDIVM. IN. CAELIOLO [2]). INSVLAE. DVAE.
ABSVMPTAE. SOLO. TENVS. ET [3]). AEDES.
QVINQVE. AMBVSTAE. QVATVOR.
DEMIPHON [4]). ARCHIPIRATA. CAPTVS. A.
CN [5]). LICINIO. NERVA. LEGATO.
IN. CRVCEM. ACTVS.
VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITVM.
COS [6]). SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT.
IVVENTVTEM. IN. CAMPO. MARTIO.

1) KAL., Voss. 2) COELIOLO, Voss. 3) Voss. AD; Reynes. ED. 4) DEMIPHO, Voss. 5) GN., Voss. 6) COSS., Voss. Abest a Reynes.

FRAGMENTUM V.

KAL. APRIL.
L. AIMILIO. PAVLLO. II.
C. LICINIO. CRASSO. COS [1].
PAVLLVS. COS. ET. CN [2]. OCTAVIVS. PRAE [3].
PALVDATI. EGRESSI. SVNT. VRBE. IN.
PROVINCIAM. MACEDONIAM.
PROFECTI. INGENTI [4]. ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.
CV [5]. . . . . TOTA. SACRA. VIA.
EX. AEDIBVS [6]. . . . . VSQVE. AD.
CARINAS. ET. SACELLVM. STRENIAE [7].
MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.
FVNVS. MARCIAE [8]. SEX. F. CVM. MAIORE.
POMPA. IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA.
HOMINVM.
PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA [9].

1) L. AIM. . . . . . . COS. Absunt. in Vossian. 2) GN., Voss. Non habet Reynes. 3) PRAETOR, Voss. 4) INGENTE, Voss. 5) GN., Voss. Reynes. omisit. 6) AEDILIBVS, Voss. Spatium non dedit Voss. Ego conjicio: CVRSATIO. PROSEQVENTIVM. TOTA. SACRA. VIA. EX. AEDIBVS. REGIS. VSQVE. sqq. 7) STERNIT, Voss. 8) MARTIAE, Voss. 9) PONTIFEX . . . . . MEGALESIA, absunt a Vossian.

FRAGMENTUM VI.

IV [1]. NON. APRIL.
VER. SACRVM. VOTVM. DE. PONTIFIC [2].
SENTENTIA. A. BAEBIO [a]. PRAETORE.
LAVTIA. LEGATIS. AETOLVM [3]. DATA.
Ж. Ж [4]. AER [5]. GRAVIS. IN. SINGVLOS.
DIMIDIVM. EIVS. COMITIBVS [6].
M. AEBVTIVS [7]. IN. PROVINCIAM. SVAM.
SICILIAM. PROFECTVS. EST [8].
EPVLVM. IN. FVNERE. MARCIAE [9]. POPVLO. DATVM.
A. FILIIS. EIVS. Q [10]. ET. L. METELLIS.
ET. LVDI. SCAENICI. FACTI [11].
CLASSIS. CARTHAGINIENSIS [12]. OSTIAM [13].
INGRESSA. CVM. TRIBVTO.

1) III., Voss. 2) PONTIFICVM, Voss. 3) AETOLORVM, Voss. 4) CCM., Voss. 5) AERIS, Voss. 6) COMITIB., Voss. 7) EBVTIVS, Voss. 8) Abest a Vossian. 9) MARTIAE, Voss. 10) C., Voss. 11) Abest a Voss. 12) CARTHAGINENSIS. 13) HOSTIAM, Voss. a) Reynes. BOEBIO.

FRAGMENTUM VII.

III. NON. APRIL.
C [1]. POPILIVS. LAENAS. C [2]. DECIMIVS. C. HOSTILIVS. LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES. SVRIAE [a]. ET [3]. AEGVPTI [4]. AD. BELLVM. INTER. IPSOS. COMPONENDVM.
LEGATI. BENE. MANE. CVM. TVRBA. CLIENTIVM [5]. ET. PROPINQVORVM. SACRIFICARVNT [6]. AD. CASTORIS. DIS. PENATIBVS. P. R. TAVRO. FECER. ET. PERLITARVNT.
PONT [7]. MAX [8]. . . . . . IN. AEDE. VESTAE.
. . . . L. L. V. V. [9]

1) CAI., Voss. 2) CAI., Voss. 3) AC., Voss. 4) AEGYPTI, Voss. 5) CLIENTVM, Voss. 6) FECERVNT. 7) PONTIF. 8) Spatium non est in Vossian. 9) Absunt in Voss. a) Reynes. SYRIAE. ET. AEGYPTI.

FRAGMENTUM VIII.

D. IV. SYLLANO. L. MVRE. COSS.
AD. III. IDVS. SEXTIL.
FASCES. PENES. MVRENAM.
IS. BENE. MANE. SACRVM. FECIT. AD.
CASTORIS. DIIS. PENATIB. PVB. INDE.
COEGIT. IN. CVRIA. POMPAE [1]).
SYLLANVS. CVM. ACCENSIS [2]). CAVSAM. DIXIT.
APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO.
EX. MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO.
DE. VI. PRIVATA.
ACCVSAVIT. L. TORQVATVS. FILIVS. ABSOLV-
TVSQVE. EST. REVS. SENTENTIIS. $\overline{XL}$.
DAMNATVS. $\overline{XX}$.
TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER. OPERAS.
CLODII. PVLCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.
RIXA. PO . . . . ET. Q [3]).
SC. FACTVM. NE. MVLTA. AERARIORVM.
TRANSEAT. AD. HEREDES.
TONVIT. SVB. MERIDIEM. FVLGVRAVIT. ET.
QVERCVS. TACTA. IN. SVMMO. ARGILETO.

1) Ego conjicio: POMP. SE. h. e. Pompeja senatum. Dodwellus emendat: Inde senatum coegit in curia Pompeja. 2) Dodwellus scribendum putat: ACCENSO. 3) Ego ita locum suppleo: RIXA. POPINARIORVM. ET. QVOQVORVM.

FRAGMENTUM IX.

AD. V. KAL. SEPTEMP.
M. TVLLIVS. CAVSAM. DIXIT. PRO. CORN.
SVLLA. APVD. IVDICES. DE. CONIVRATIONE.
ACCVSANTE. TORQVATO. FILIO. QVINQVE.
SENTENTIIS. OBTINVIT. TRIB. AERAR.
CONDEMNARVNT.
FASCES. PENES. SYLLANVM.
TRIB. PL. INTERCESSERVNT. SC. DE.
TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT.
PRAEDES.
PRAETOR. VRB. FILIAM. EO. DIE [1]).
DARET. NVPTVM. EDICTO. MONVIT.
SE. IVS. NON. DICTVRVM. ET. VADIMONIA.
OMNIA. IN. DIEM. QVINTVM. DISTVLIT.
TESTAMENTVM. MELIONIS. ALLATVM.
MYCENIS. PRAETOR. PEREGRINVS.
RESCIDIT. Q [2]). EXPRESSVM. ERAT. AB.
EO. TORMENTIS.
Q. TERTINIO. PRAETORI. IVS. DICENTI.
NVNCIVS. ALLATVS. EST. DE. MORTE. FILII.
FICTVS. AB. AMICIS. COPPONII. REI. DE.
VENEFICIO. VT. CONCILIVM. DIMITTERET.
ILLE. PERTVRBATVS. DOMVM. SE. RECIPIEBAT.
SED. RE. COMPERTA. PERSEVERAVIT.
IN. INQVIRENDO.
C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII.
POSTVLAVIT. DIVINATIO. ACTIVM. INTER.
ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO.
ACTIVS. OBTINVIT. Q [3]). SEPASII. VXOR.
SOROR. ESSET. NVRVS. COPPONII.
RIXA. AD. FORNICEM. FABII. ET. CAEDES.
GLADIATORVM. DVORVM. EX. LVDO.
CVRIONIS.

1) Interpono hoc loco CVM. Dodwellus aliique ita emendant: „Cum praetor urban. et sqq." 2) Hoc est: QVOD. 3) Hoc est: QVOD.

FRAGMENTUM X.

AD. IIII. KAL. SEPT.
FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE.
VIRGINIS. ILLATAE. SEPVLCRO. SVORVM.
MAIORVM. VIA. AVRELIA.
CENSORES. LOCAVERVNT. REFICIENDVM.
TECTVM. AII. LOQVENTIS. H. S. XXV.
Q. HORTENSIVS. SVB. VESPERVM.
ORATIONEM. HABVIT. PRO. ROSTRIS.
DE. CENSVRA. ET. BELLO. ALLOBROGVM.
RELIQVIAE. CONIVRATORVM. CVM.
L. SERGIO. TVMVLTVANTVR. IN.
HETRVRIA.
CAVPO. AD. TRES. TABERNAS. OCCISVS.
A. THRACIBVS. EBRIIS. IN. VIA.
PVBLICA.

FRAGMENTUM XI.

GN. POMPEIO. MAGN. II.
M. LICINIO. CRASSO. II. COSS.
KAL. MAII [1]).
COSS. IN. GALLIAM. PROFECTI.
AD. C. CAESAREM.

1) Sic. Vossianum, quod tamen falsum videtur. Scriptum in archetypo sine dubio fuit KAL. MAI., h. e. Kalendis Majis, seu Kalendae Majae.

Liceat mihi pauca hic de duplici textus recensione perscribere. Nam non paucis sane Vossiana editio a Pighiana differt, et id maxime observatu dignum est, quod non sine regula est scriptionis diversitas, sed analogiam quandam sequitur. Vossius: *Minutius*, *Sulpitius*, *Martia*, pro quibus Pighianum apographum rectius habet: *Minucius*, *Sulpicius*, *Marcia*. Nam sic quoque vetustum de Bacchanalibus S. C. scribit *Marcius*, non *Martius*. Vossius: *causa*, *paulum*, ubi Pighius scribit: *caussa*, *paullum*. Vossius ubique *Gn.*, Pighius *Cn.*; Vossius *Boebius*, *Coeliolus*, Pighius *Baebius*, *Caeliolus*. Adamat Vossianum apographum in nominibus propriis Y, ubi Pighius V aut I habet; Vossian. enim: *Cymbricum*, *Aegyptus*, Pighius *Cimbricum*, *Suria*, *Aeguptus*. Praeterea bene animadvertendum, Vossium saepe, quae per compendia scripta sunt in Pighiano apographo, scribere omnibus aut pluribus certe litteris expressis. Nec omittendum est, quod Vossius spatium plerumque non reliquit, ubi Pighius lacunam habet, et quod ea, quae legi explicarique nequeunt, Vossius omnino omisit. Quae omnia apud me id valent, ut Pighianum apographum longe correctius esse putem Vossiano, quod, ut equidem sentio, dictatis exceptum, non descriptum ex archetypo quodam videtur. Quo etiam factum est, ut lacunas non significet relicto spatio, ut omittat obscuriora et explicatu difficiliora. Attamen, quamvis deterius sit, pauca tamen habet, quae meliora videantur Pighianis, ut *Laurentiae* (fragm. I) et *Aetolorum* (VI). In universum tamen certissimum, Vossianam descriptionem esse deteriorem; quare ne in iis quidem fragmentis, quae ex una Vossiana descriptione fluxerunt, multum tribuendum est deteriori scribendi rationi, *Sepasio*, *Copponio* aliisque, quae offensioni sunt.

Antequam ad ipsam actorum defensionem accedam, pauca de historia actorum praemittenda erunt. In quibus ea maxime, quae Tu, Clerci, in libro Tuo inde a p. 261, diligentissime congessisti, secutus sum, non ita tamen presse caeceque, quin et ipse omnia, quae huc per-

tinerent, relegerem examinaremque, et nova quaedam de meis adderem.

Certissimum est, acta per longius omnino tempus inter singulos homines doctos circumlata scriptisque exemplaribus ab uno ad alterum translata fuisse, antequam typis expressa ad notitiam communem propagarentur. Testis ante omnes *Justus Lipsius* est, qui in adnotationibus suis ad Tacit. Annal. libr. XV anno jam 1581, ut probaret antiquiori Urbis tempore plures domos quam insulas fuisse, ex actis nostris ipsis pauca verba citat ita: „Argumento libri lintei Pontificum, in queis scriptum: INCENDIUM IN CAELIOLO, et quae sequuntur". Testis etiam *Marc. Velserus*, doctissimus Norimbergensis, qui in litteris ad Cammerarium anno 1596 scriptis de transmissis illis actis mentionem injicit. Cfr. M. Velseri Opera, Norimberg. 1682, p. 851, ubi haec: „Interim excerpta ex linteis Pontificum libris Ortelii aut Vivis aut cujusvis potius fide mitto". Testis etiam is, qui primus omnium acta typis exprimenda curavit, annalibus suis p. 378 inserens anno 1615, doctissimus *Pighius*. Ita enim de iis praefatus est: „attestatur antiquissimae tabulae fragmentum, ejusdem anni (DXXXCV Urbis annum intelligit) dierum septem acta urbana nobis pulcherrime repraesentans: cujus exemplum exscriptum, inter schedas Ludovici Vivis olim repertum, nobis communicavit vir eruditione singulari, antiquitatisque investigandae studio non minus quam nobilitate commendandus Jacobus Susius". Paulo inferius de eodem fragmento addit: „confert enim non modicam ad historiae ejus anni reipublicaeque cognitionem: formamque monstrat, qua tam Senatus quam populi diurna acta priscis illis saeculis confici, in tabulasque referri ac publicari solebant". A Pighio mutuatus inscriptionum syntagmati suo indidit *Thom. Reynesius*, anno 1682. Cfr. lib. I, Cl. IV, 2 3. 4. p. 340—343.

Etiam qui tertio loco omnium accuratissime edidit amplissimaque interpretatione instruxit ea, *Henricus Dodwellus*, anno 1692, idem probat, quod supra diximus, manu scriptis exemplaribus maxime illa acta etiamtunc

pervulgata esse. Dodwellus enim in Praelectionibus suis Camdenianis, in Praelect. VIII, c. X, p. 334 de actis ita narrat: „Collegerat haec (fragmenta) editionique paraverat inedito Inscriptionum volumine Paulus Petavius. Inde exscripsit Vir maximus memoriae celeberrimae Isaacus Vossius. Ab eo accepit Vir Cl. Hadrianus Beverlandius, qui mecum communicare dignatus est.“ Ad haec sua verba respiciens in Appendice ad Lectiones Camdenianas, qua haec fragmenta edidit interpretatusque est, p. 651 scribit ipse ille Dodwellus: „Memini, Lector, illo in loco fragmentorum nonnullorum Librorum Linteorum veterum, quorum me participem fecerat Cl. Beverlandius. Ea jam, quia ad historiae Romanae fontes spectant, tecum communicare decrevi. Ea tum omnia inedita putabam. Postea partem eorum priorem a Stephano Vinando Pighio ad annum Urbis, pro Epocha (quam sequitur ipse) Capitolina DLXXXV, Varroniana DLXXXVI editam reperi. Accepit a Jacobo Susio Pighius in Ludovici Vivis schedis repertam ab ipso Susio. A Pighio deinde mutuatus est Reynesius Vir longe Maximus in addititiis ad Gruterum inscriptionibus. Editionem illam primariam Pighii sequor a Reynesio descriptam, quod formam ipsam servavit Tabulae Marmoreae a Vossii descriptore, quicunque demum is fuerit, neglectam, quod factum tamen non oportuit. Contuli autem cum Vossii Apographo, si qua fortasse melioris lectionis suggesserit Codex Petavii, unde sua descripsit ipse Vossius. Potuit enim, qui plura servavit horum Marmorum fragmenta, quam constat vidisse (si tamen vidit) Vivem, e Marmore ipso descripsisse Paulus Petavius.“ Ex Vossiano Apographo, quod Dodwello in manu fuit, quatuor dierum fragmenta necdum edita adjecit in Appendice Dodwellus, priora tria ad annum Urbis condit. Varron. 692 referenda, quartum ad annum 699 pertinens. Talia Dodwellus de historia actorum satis curiose narrat.

Nec minus scitu digna sunt, quae *Georg. Graevius* in editione Suetonii, quae anno 1697 facta est, memoriae tradidit. Ad caput enim XX vitae Julii Caesaris

explicandum acta priorum septem dierum exscribenda curavit, his additis verbis: „Actorum antiquissimorum senatus, anni nimirum 585 exemplum illustre mihi non ita pridem ex Britannia misit virtute et doctrina in primis conspicuus Vir, *J. Lock*, quem et honoris et amoris, quo eum prosequor, causa nomino. Scribit id secum communicasse Illustrissimum Comitem de *Carbury* excerptum ex perantiquo codice." Paulo infra haec etiam adjicit: „Priorum trium dierum acta debemus Generosissimo Comiti de Carbury, et ejus munere Cl. V. Lockio. Ceteros dies excerpsi ex annalibus Stephani Pighii etc." Suspicetur hoc loco quispiam tertiam quandam actorum recensionem reperiri; certiores tamen nos facit Dodwellus in Append. p. 779, textum, quem Comes de Carbury Lockio dedit, haud alium esse ac Vossianum illum, a Dodwello editum. Audiamus Dodwellum ipsum hoc testantem: „Edidit praeterea partem horum actorum Urbanorum priorem in iterata Suetonii editione Cl. Graevius. Et quidem partem illius partis aliquam ex Apographo Vossiano. Quae enim cum Graevio communicavit Dominus Carbury, ea ipsum a Cl. Beverlandio accepisse ipse nobis indicavit." Ipse quoque *Vossius*, qui supra nominatus est, bis fragmentorum mentionem fecit in edit. sua Catulli, ann. 1684, priori quidem tempore, quam et Dodwellus et Graevius acta illa ederent. Cfr. Voss. edit. Catull. p. 73 et p. 333. Illud haud negligendum est, quod Vossius modo excerpta ex linteis Pontificum libris, modo Ephemerides vocat, id quod satis probat, libros linteos a Vossio pro Ephemeridum quodam genere habitos esse. De historia actorum Vossius haec p. 333: „Eo autem libentius haec moneo, quod necdum in lucem prodiere haec fragmenta. Partem duntaxat exhibuit Pighius in suis Annalibus, sed longe plura sunt, quae penes me sunt, quaeque ipse non vidit, quamvis utraque ex eodem Ludovici Vivis vetustissimo, ut opinor, exemplari fuerint descripta."

Haec fere sunt, quae de antiquissima actorum nostrorum historia exputari potuerint. Ex quibus apparet *Ludovicum Vivem primum omnium possessorem actorum*

nominari, a quo acceperat Susius; a Susio accepit Pighius. — Ecce praeterea altera apparet actorum editio inter Anglos quatuor nova praeter Pighiana illa addens fragmenta, et in iis fragmentis, quae cum Pighiana editione communia habet, discrepantem saepe lectionem exhibens. Hujus antiquissimum exemplar habuit Paulus Petavius, a Petavio Isaacus Vossius accepit, a Vossio Beverlandius, qui cum Dodwello communicavit. Ab eodem Beverlandio etiam Comes de Carbury fragmenta illa acceperat, eaque Lockio dedit, qui Graevio partem eorum misit.

Jam quaerendum est, quomodo factum esse putemus, ut horum actorum duplex existere potuerit recensio, non sane paucis diversa. Equidem archetypum aut Vivi aut antiquiori etiam in manibus fuisse puto, ex quo fortasse ad legendum difficiliori duplex est facta descriptio. Verisimile est Vivem, qui mirum habuisse fertur codicum thesaurum, possedisse illud archetypon, sive marmoreum illud fragmentum sive aeneum sive papyraceum sive cujusvis materiae talis fuit, qualem antiqui scribendo adhibuerunt. A Vive aut aliunde nescio a quo potuit accipere idem archetypon Paulus Petavius, quem non minus manuscriptorum librorum copia ditatum fuisse constat, quamvis minime appareat, unde illa fragmenta acceperit Petavius. Illud pro vero contenderim, inesse sane in tali lectionum diversitate, quae duplicem quandam descriptionem factam esse probet, non debile veritatis actorum argumentum. Quis enim a falsario hanc lectionis discrepantiam, qua suspicionem non posset non movere, factam esse putet? Praesertim quum discrepantia vel in rebus gravioribus et non facile explicandis conspicua sit, quale illud est in primo fragmento *Laurentiae* pro *laureatus* scriptum et illud in quinto *sternit* pro *Strenia.* Licet compluries describendis actis textum eorum subinde corruptum dicas, quod sane concedam, vix tamen ita omnia explicueris. Major enim est diversitas, quam quae sola hac ratione explicari possit. Mirationem etiam faciunt nova quatuor adjecta fragmenta. Si Vives, quod Velserus innuit,

finxit fragmenta, cur non quum vivebat adhuc in lucem edidit, cur partem omnino celavit? Illud haud parum Vivis sinceritatem tuetur, quod multo post eum mortuum (ann. 1536 mortuum perhibent) anno 1581 prima de actis illis mentio fit apud virum doctissimum Lipsium, qui ne a Vive quidem se haec fragmenta accepisse tradit. Etiam Dodwellus narrat Susium in schedis defuncti Vivis haec reperisse acta et cum Pighio communicasse. Quid igitur Vivem accusemus tanquam falsarium, qui ne divulgasse quidem acta videtur, et cujus fides minime suspecta est. Immo ipse ille Vives, quem falsarium esse incusant, in scriptis suis vehementer satis in eos invectus est, qui supposititios libros nobis pro genuinis vendere soleant. Cfr. Jo. Lodovici Vivis Valentiani opera, Basileae 1555 edita, Tom. I, p. 342, ubi ita Vives: „Nunc vero quia et grammatici se in tenebras quasdam pristini abdiderunt, et grammaticam professores majorum artium contubernio suo expulerunt, tanquam in cornices columbam, ut est in fabula: idcirco non modo dicta et sensa inepta et stulta, sed stultissima quoque et abjectissima opera genti ac familiae clarissimorum auctorum supponuntur," aliaque hoc genus. — Accedit alterum, quod tota Vivis scribendi ratio, qualis in ejus scriptis apparet, discrepat ab eo genere dicendi, quod in fragmentis deprehenditur. Vives enim nescio quid oratorium in amplificandis iisdem notionibus conspicuum, longioresque verborum circuitus in scribendo adamat, cujus rei in fragmentis nullum omnino vestigium exstat. Quare mihi satis injuste Velserus ille Vivi fecisse videtur, qui suspicionem in ipsum injecerit, cujus minime obnoxius est.

Ita praeter Velserum nemo antiquiorum fuit, qui actis nostris fidem denegaret. Quam fidem etiam apud multos aetate posteriores ad nostrum usque tempus retinuerunt. Liceat mihi breviter nomina modo clarissima eorum virorum librorumque hic perscribere, qui actorum integritatem agnoverunt.

Acta eruditorum, quae Lipsiae prodierunt, p. 161 anni 1693, mensis Aprilis, summatim appendicis Dodwel-

lianae argumentum repetunt, de fide actorum ne minimam quidem dubitationem prodentia. — Diarium celebre, *journal des savants*, quod dicunt (Suppl. 1707), pro actis illis stat. — *Thom. Hearne* in edit. Livii, Oxford. 1708, t. VI, p. 250 acta transscripsit. — *Pitiscus* duobus lexici sui locis et s. v. acta et s. v. diarium Pighiana acta citat ut genuina. — *Oudendorpius* in praefatione ad Julium Obsequentem ann. 1720 ad actorum auctoritatem provocavit, quae quidem acta senatus nominat, quamquam hunc virum d. postea mentem suam commutasse videmus. Nam in edit. Suetonii ab ann. 1751 ad vit. Jul. Caes. c. 20 professus est, tota supposititia acta se crediturum esse, donec aenea tabula vere antiqua producatur. Sed causam habuit satis futilem, cur ita actis irasceretur; non enim satis cum Suetonii loco l. acta conciliari posse putavit. Cfr. programm. meum de diurnis p. 15. — *Nic. Funccius* in libro de virili aetate linguae latinae duobis locis acta nostra citat (II, p. 20 et p. 176), eximieque laudat, egregium tabularum diurnarum fragmentum vocans. — *Drakenborchius* in ed. Livii ann. 1738 in adnotatis ad libr. 1, c. 45 (Tom. I, p. 187) actorum auctoritate usus est ad explicandam structuram verbi *faciendi*, cum sacrificandi vim habet. — *Muratorius* thesauro suo acta nostra inscribenda curavit, eaque non diurna, sed senatus acta vocat. Cfr. Tom. II, p. 610. Jure tamen miramur, Muratorium partem tantum actorum, quam Graevius exhibet, cognosse, cetera, quae viri dd. de iis scripserant, ignorasse. Ceterum Muratorius egregia actorum admiratione ducitur. — Doctissimus *J. A. Fabricius* et in notis ad Dion. Cassium ad LIII, 19 et in bibliotheca latina IV, 3, 8 acta laudat, ne minimam quidem dubitationem de eorum auctoritate prodens. — *Chr. Saxius*, vir d. et sobrius acta nostra damnare falsitatis non ausus est, quamvis de eorum integritate non satis sibi persuasisse videatur. Hanc enim totam quaestionem ampliandam censuit. Cfr. Miscell. Lips. Nov. t. II, p. 638; III, p. 257, et libr.: Periculum animadversionum in aliquot classica marmorum syntagmata, Lips. 1746.

2

Nec jurisconsulti veteres auctoritatem illorum actorum respuerunt; nam pro fonte liquidissimo habuerunt, unde de antiquissima historia edicti ejus, quod perpetuum vocatur, promi quaedam certiora possint. Affero huc *Ezechiel. Spanhemium*, qui in orbe Romano suo, II, cap. VIII, p. 267, Londin. 1703, ad actorum auctoritatem revocat ita: „in quibus autem libris Pontificum linteis, seu verius diurnis actis, inter alia legitur," et quae sequuntur. Nec non audiendi sunt *L. A. Hambergerus*, in commentat. de edicto perpetuo p. 9, quae Jenae prodiit 1714, *Heineccius*, vir clarissimus, et in syntagmate I, II, 23, et in historia edictorum II, 1, *God. Hoffmannus* in hist. jur. I, 1, period. 4, hi omnes actorum fidem bene agnoscentes. *Abrah. Wielingius* in lection. iur. civ. II, 28 acta interpolata, ceterum genuina putat.

Quid vestri homines de actis judicaverint a Te doctus sum, Clerci. Nominasti actorum defensores *Sallierum* abbatem in libro inclito: Memoir. de l'Acad. des Inscript. VI, p. 34, et *Jos. Bimardum de Labastie* in observationibus ad nonnullos novi Muratoriani thesauri locos acta tuentes. Cfr. Supplem. Donatii ad Murat. Thes., Lucc. 1775, p. 495. — *Crevier*, Rollini de historia Romana libri continuator, in historia sua Romana (histoire Romaine), Tom. XII, p. 103 actorum auctoritatem vel Suetonii testimonio opponit, ut qui Caesarem falso primum actorum inventorem scripserit. Quod quomodo dijudicandum sit, nunc omnes sciunt. — *De Brosses* in historia reipublicae Romanae (histoir. de la rep. Rom.) compluribus locis (tom. III, p. 324. 330) auctoritate actorum nisus est. Etiam *M. Bauchaud* satis acriter auctoritatem actorum defendit in commentariis: Mem. de l'Acad. des Inscript. t. XLI, p. 60 et sqq. Cfr. tom. XLII, p. 171. Recentissimo quoque tempore acta haud improbavit Abbas *de Perier* in libro: Annales encyclopédiques, Août 1817, t. IV, p. 281, Decembr. 1818, t. VI et dernier p. 194.

Ne apud Germanos quidem recentiori tempore defuerunt, qui actis aut omnem tribuerent auctoritatem aut certe non auderent denegare. *Maternus de Cilano* libro

suo: *Römische Alterthümer*, I, 403, fragmentorum nostrorum priorem partem indidit, de eorum sinceritate nihil dubitans. — *Beckmannus*, *Beiträge zur Geschichte der Erfindungen*, II, p. 241 ad acta revocat, sed quaestionem de integritate in suspenso reliquit. — Eodem modo *Zellius* in programmate de diurnis, Friburgi 1834, quod idem exscriptum legitur in diario, Morgenblatt 1835 (p. 582), non ausus est acta commenticia ducere, satisque caute de integritate eorum judicat. Sic enim fere ab initio: „*ich glaube sie nicht übergehen zu dürfen, weil die Zeit der ersten Einführung dieses Instituts zugleich von Einfluss ist zur Entscheidung der Frage über Echtheit oder Unechtheit einiger angeblicher oder wirklicher Bruchstücke aus diesem Kreise.*" Sic judicavit dubitanter satis *Zellius*, quamvis Schlosserus, quem maxime sequitur, jam anno 1830 acta nostra crudelissime condemnasset. Sed paulo prius etiam *Fr. Guil. Schubertus*, quem Tu quoque nominasti, *Clerci*, in libro de Romanor. aedilibus scripto p. 319, Regiomont. 1828, acta vere antiqua esse judicaverat.

Nec tamen defuerunt ii viri, qui actis omnem fidem abrogarent, omninoque falsa ea putarent. Jam antiquiore tempore, quo haec acta magno approbationis plausu excepta esse videntur, *Velserus*, Norimbergensis ad Cammerarium scripsit, se omnino idem sentire, quod illum, haec fragmenta neque coloris neque succi esse pro aetate, quam affectent. Cujus judicii causam in epistola priori prodidit, quod vani Hispani praeter alias omnes gentes in confingendis essent inscriptionibus, qua santiquas credi vellent. Quis, ita enim pergit, credat Pontifices in fastos retulisse exempli causa IV Kal. Apriles rixam ad Janum infimum in caupona et cauponem ad Ursum galeatum graviter sauciatum? Quod Velseri judicium facile refelli potest eo, quod eum acta improbasse apparet nulla alia ex causa, quam quod librorum linteorum imitationem esse putavit. Qui vir sane aliter judicasset, si diurnorum naturam non ignorasset. Sed exstiterunt mox vehementiores actorum impugnatores, qui vel longiores de falsitate

eorum commentarios conscriberent vel passim occasione quadam oblata in ea inveherentur, iisque, qui se actorum adversarios prodiderant, consulto nomen suum addicerent. Qui jam omnes ita vicisse sententia sua videntur, ut nunc qui criticus videri velit actis vix fidem praebeat. Huc pertinet *Walterus Moyle*, acta in libro de Philopatridis vera aetate, c. 4, aggressus, cujus sententiam approbavit *Gibbon* in libro celeberrimo, decline and fall of de Roman empire, c. 44; pertinet huc *Tunstallus*, qui in ep. ad Middletonem p. 33 acta impugnat; referendus huc *Matthaeus Aegyptius* (Egizio), in commentatione, qua senatus consultum de Bacchanalibus explicavit, actorum adversarius, quae commentatio legitur quoque in edit. Livii Drakenborchiana, Tom. VII, p. 197; afferendus vero inprimis *Peter Wesselingius*, qui in Probabilibus suis, Franequerae 1731 ed. inde a p. 354 actorum fidem suspectam reddidit, tam docta tamque ingeniosa argumentatione usus, ut nemo actorum perniciosior fuisset hostis, nisi Tu, Clerci, nuper ei accessisses. *Dukerus* in edit. Livii Drakenborchiana bis, XLIV, 18, 19 et XLV, 3, 16 vehementius paulo, quam accuratius in acta nostra scripsit. Etiam *Beaufort* in dissertatione de incertitudine primorum quinque historiae Romanae saeculorum (Romae 1750) p. 87 fidem actis denegavit, quamvis eadem acta in priori ejusdem libri editione p. 68 ut pretiosissimum antiquitatis monumentum vel ad Suetonii doctrinam corrigendam in auxilium vocasset. Ex juridicis quoque exorti sunt, qui acta improbarent, *Cannegieterus* (ad Heinecc. syntagm. I, 2, 23) et *Dan. Ritterus* (in praefat. ad Heinecc. Hist. jur.). Quin doctissimus etiam *J. A. Ernestius* noster singulari ad Suet. Jul. Caes. c. 20 excursu de actorum falsitate exposuit, quae et Suetonii auctoritati repugnare et miram Liviani loci (XXXXIV, 19; cfr. fragm. 5) imitationem prodere dicit. Quae eadem commentatio inest quoque in Opuscul. Ernesti philologicis p. 45, Lugd. Batav. 1764. Praeterea aliis duobis locis in iisd. Opuscul., p. 76 et p. 82, acta falsa esse memorat. Nec non *Gaet. Marini* in libro notissimo: Atti degli Arvali, p. 120, 151, Rom.

1795, acta falsa esse pronuntiavit. Recentissimo tempore *Schlosserus* noster in libro, *Archiv für Geschichte, herausgegeben von Fr. Ch. Schlosser und G. A. Bercht, Frankfurt a. M.* 1830, *Bd. I.* p. 87, gravissime damnare acta haud dubitavit, quae nec forma, nec sermone nec argumento, quin ficta sint ab homine viros dd. lusuro, satis tegere possint. Cujus sententiae accessit *Guil. Reinius* quoque, Professor Isenacensis, collega meus suavissimus, qui acta ut spuria notavit in lexico, *Pauly, Realencyklopädie der klassischen Alterthumswissenschaften*, s. v. acta.

Sed jam satis est de actorum historia eorumque et patronis et adversariis dictum; nunc, recte ut eorum defensio perfici possit, singula deinceps fragmenta pertractanda erunt; jamque a primo incipiendum.

FRAGMENTUM I.

FASCES. PENES. AEMILIVM.

Facile perspicitur, in actis fasces alternis diebus singulis consulibus tribui, quae res viros dd. haud parum offendit. Ex tota enim antiquitate notissimum esse dicunt singulis mensibus, non diebus, inter consules alternasse fasces, id quod demonstret constans gravissimorum auctorum consensus, Suetonii in Jul. Caes. c. 20, A. Gellii II, 15, Dionys. Halicarn. Antiquitt. lib. V, 278. Per mirum errorem actorum scriptorem haec aut confudisse aut ignorasse omnino, satisque falsarium ita se prodidisse. Crimen gravissimum sane, cujus si damnandus auctor, falsarius esse denegandus non est; vereor tamen, ut circumspecte satis critici illi rem dijudicaverint. Non enim satis certum est, omnibus rerum Romanarum temporibus illum, quem Suetonius, Gellius et Dionysius indicant morem, valuisse; nam tres illi scriptores ipsi recentiores sunt; nec contemnendum est Polybii antiquioris graviorisque scriptoris testimonium, qui libr. III, c. 110 ita narrat: „τῆς ἡγεμονίας τῷ Γαΐῳ καθηκούσης εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, διὰ τὸ παρὰ μίαν ἐκ τῶν ἐθισμῶν μεταλαμ-

βάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους." Quae verba tam generaliter prolata sunt (διὰ τὸ ἐκ τῶν ἐθισμῶν μεταλαμβάνειν), ut non de rebus bellicis solis intelligi possint, id quod contendit Wesselingius l. l. p. 356. Qui enim factum putemus, ut hic mos non nisi belli esset, quum contra negandum non sit, eam potius in bello valuisse consuetudinem, ut consules aequato imperio exercitum inter se partirentur. Cfr. Liv. XXII, 27: „Ita obtinuit, ut legiones, *ut consulibus mos esset*, inter se dividerent." Licet in bello alternis diebus nonnunquam imperitaverint consules (cfr. Liv. IV, 46; XXII, 26 et 27, 41 et 45), tamen hic mos extraordinarius est, qui ex consuetudine Urbis in bello interdum retentus fuisse videatur. Nam non ex lege, sed ex comparatione ita fieri solitum esse Liv. IV, 46 demonstrat: („tandem ita comparatum est, ut alternis diebus summam imperii haberent"). Nam non poterant non periculosae in bellis tam breves imperii vices esse, domi et in senatu sine detrimento erant. Ita satis probabile est, Polybium dicto suo consuetudinem consulum generaliter denotasse. Quod quamvis aliis certis exemplis demonstrare, quod ego sciam, nequeamus, unius tamen facti auctoritate stabilire possumus, decemvirorum consuetudine, apud quos singulos decimo quoque die fasces erant, haud dubie recepto consulum usu. Cfr. Liv. III, 33. Nec Livii locus XXVIII, 9 ad nostram rem non pertinere videtur, unde alternis diebus auspicium penes consulem utrumque fuisse apparet.

BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.

In his quoque verbis inventum est a viris doctis, quod taxarent. Tu, Clerci, illud BENE MANE ex Ciceronis putas imitatione scriptum, quasi locutio haec una sit Ciceroniana, quae communis sine dubio omnium Romanorum fuit. Nam Horatius, ut unum tantum afferam, nihil magis adamat, quam adjectivorum adverbiorumque vim praeposito illo *bene* intendere. Cfr. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, v. 61. Quod non *bene mane*, sed *mane* dixit, inde factum, quod per versus rationem illud dicere

non licuit. Ceterum non solum *bene mane* dixit Cicero sed etiam *bene ante lucem* (de orat. II, 64).

Nil opus est probare consules et imperatores mane sacrificare solitos, antequam ad profana agenda se converterent. AD APOLLINIS scriptum est; non enim Apollini ipsi, sed Laurentiae sacrificatum est, ut mox demonstrabimus, cujus ara ad Apollinis fuit. Fortasse illa dea, Apollini erat *σύνναος*, ut plures deos *συννάους* fuisse constat. Quam recte autem ex consuetudine Latinorum dicatur AD APPOLLINIS, testatur Liv. 39, 4, qui eodem modo: „ad aedem Apollinis in senatu."

OVE. FECIT. LAVRENTIAE.

In Pighiano exemplari est LAVREATVS, quod etiam eam ob causam minus genuinum puto, quod facilius intellectu et pro non facile intellecto positum esse videtur. Descriptor enim quum legisset AD. APOLLINIS, huic deo sacrificatum esse putavit, nec satis, quomodo alterum ignotius sibi nomen hoc loco explicaret, habuit. Fecit igitur LAVREATVS, quum Apollinis numen facile lauri notionem in mentem vocasset. Tuetur hoc LAVRENTIAE nomen illud quoque, quod ovis sacrificium minus est, quod minorem decet deam, non satis Apollinem. Ceterum Laurentia quae dea fuerit et Lactantius I, 20 et Ovidius Fast. III, 55 et Macrobius Saturnal. I, 10 aliique nos docent, eique mense Decembri Laurentialia erant instituta. Et illud sciendum est, veteres et Larentiam et Laurentiam dixisse, ita ut lautumias et latumias dixerunt. Cfr. de hoc fragm. loco Dodwellius p. 671, qui doctius paene de eo disputavit. Huic Laurentiae, ut deae domesticae, nam Romuli nutrix fuisse perhibetur, recte poterat sacrificium instituere consul, licet non festo ipso Larentialibus id fieret. Nam causa, cur illo die huic potissimum deae sacrificaverit, latet. Illud vero manifestum est, inprimis a consulibus diis domesticis sacrificari solitum esse, quorum ex numero cur non ipsam Laurentiam dixeris fuisse, quam Ovidius l. l. non dubitavit dicere tanti populi nutricem? Unum addam, fuisse templum illud Apollinis

extra portam Carmentalem (cfr. Ascon. Ped. p. 69, a, edit. Ald.), non in Palatio, ubi multo post Augustus templum Apollinis nobilissimum condidit.

HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. IN. HOSTILIA.

Et Wesselingius et Tu, Clerci, hoc quoque loco offensi estis, quod octavam horam, ad senatum cogendum ex moribus Romanis vix satis commodam fuisse putatis. Equidem minime hoc taxari posse puto. Diversissimis horis senatum colligi potuisse antiquorum testimonia probant, nam pendebat hoc ex arbitrio consulum, aut eorum, qui senatum vocarent, quanquam negari nequit, matutinas horas inprimis senatui cogendo proprias fuisse. Cfr. Liv. XXII, 7; XXXVI, 21. Caesar, quo die occisus est, quinta fere hora in senatum est progressus. Cfr. Sueton. Jul. Caes. c. 71. Nec sane coenae, ut nunc interdum, in senatu habendo ratio habita est; nam ab orto sole usque ad occasum non raro senatus extractus. Cfr. Liv. XXII, 7. Idem de concionibus valet; Liv. X, 22. Quod hoc die, ut fragmentum indicat, octava demum hora senatus coactus est, nisi quid extraordinarii habuisset, vix tam accurate ad horam perscriptum foret; sed quae hujus rei causa fuerit, et sane levissima esse poterat, nescimus.

S. C. FACTVM. VTI. PRAETORES. EX. SVIS. PERPETVIS. EDICTIS. IVS. DICERENT.

Non parvum momentum in hoc quoque loco actorum adversarii sibi invenisse videntur, quo falsa ea luculenter probarent. Nam et ad Asconii Pediani (in orat. pro Corn. p. 56) et ad Dionis Cassii testimonium (XXXVI, 23) provocarunt, qui centum fere annis postea legem Corneliam eam latamper hibeant, qua praetores obligati sunt, ut ex suis perpetuis edictis jus dicerent. Actorum igitur scriptorem, sic enim argumentati sunt, miseri erroris ab illis scriptoribus convinci posse. Nec satis credibile esse tale senatus consultum unquam ante Cornelium factum fuisse. Quod si re vera factum fuisset, cur Cornelius multis in-

vitis eam legem ab Asconio tulisse diceretur? Cur succenserent optimates Cornelio id, quod jam senatusconsulto esset cautum? Non sane difficile est, haec omnia revellere crimina. Non raro enim id, quod jam senatusconsulto aut antiquo jure fuerat cautum, serius lege denuo sanciendum erat sancitumque est. Et sane illo ipso tempore, quo Cornelius legem suam de praetorum edictis tulit, similem aliam legem proposuit, quae jam antiquo jure valuit. Cfr. Ascon. Pedian. p. 55, a, ex edit. Aldi. Quidni summo etiam jure de praetorum jurisdictione senatusconsultum aliquod, immo pluria, facta et antiquo jure de ea cautum jam fuisse putemus? Immo vix hoc dubitandum, quum ipse Pedianus addat legem illam Corneliam latam esse, nemine repugnare auso, quamvis multis invitis. Cur non repugnarunt optimates, qui aliis audacter satis repugnabant legibus ejusdem Cornelii? Scilicet res jam antiquo jure constituta fuisse videtur, quae tamen per ambitiosos negligi et in gratiam singulorum perverti soleret. Quod ipsum etiam Dio expressis verbis probare videtur l. l.: *οὐ γάρ πω πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐποίουν, οὔτε ἐσάπαξ τοῦτ᾽ ἐποίουν, οὔτε τὰ γραφέντα ἐτήρουν* et sqq. Erant igitur edicta, sed non servabantur, ut debebant.

Quod vero Tu, doctissime Clerci, verba Asconii falsarium compilasse et in suum usum vertisse dicis, vix concesserim. Non enim falsarius haec in prius hoc tempus transferre ausus esset, quae Pediani loco, nihil de vetere quodam senatus consulto proferenti facile videri possent contradicere? Veritus esset, ne ipso loco, quem compilasset, refelleretur. Sed non compilavit locum falsarius; et id ipsum, quod specie quadam locus Asconio adversatur, ejus integritatem confirmat.

Q. MINVCIVS. SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI. A. P. LENTVLO.

Dubitas, Clerci, Scapulaene cognomen recte ad Minucios pertinere possit. Quidni? Minucii enim diversissima habuerunt cognomina, saepe Ruforum et Thermorum,

sed etiam Aprorum, Dionysiorum, Hilarorum, Eutychorum, Faustorum, Fabrorum, Optatorum, Latinorum, Myrtilorum, Molliculorum aliorumque. Cur non cognominari quoque eorum aliqui potuerint Scapulae? Certe tali dubitatione, Clerci, vix quidquam valebis ad actorum fidem levandam. Immo si locus exstaret, ubi Minuciis Scapularum cognomen inditum legeremus, eum Tu ab actorum scriptore compilatum diceres. Misera acta, quae nullo modo defendi possunt. Quaeris deinde, cur ad Cic. Brut. c. 64 et 66, ubi Lentulus orator memoratur, ab editoribus nihil adnotatum sit de ea causa, quam actorum scriptor hoc in fragmento a Lentulo actam dixerit, cur nihil ab iis, qui veterum oratorum fragmenta collegerint? Equidem nescio; nec tamen video, quomodo haec quaestio actis fidem possit detrahere.

SENTENTIIS. CONDEMNATVS. XV. AMPLIATVS. XXXIII.

Falsarius haec si invenit, non sane malum se antiquitatis imitatorem praebuit. Nam tantum fere numerum judicum, non enim semper idem constabat, in talibus causis sententias ferre solitum esse, Asconius Pedianus probat. In causa enim Milonis quinquaginta et unus (cfr. Pedian. p. 88, a), in causa Sexti Clodii totidem (id. p. 95, a et b), in causa M. Scauri sententias tulerunt LXV omnino judices (id. p. 76, a). Nec non Cicero ad Attic. I, 13 audiendus, ubi L judices in Clodium sedisse dicuntur. Minimus judicum numerus, quem equidem invenerim, in Cic. pro Cluent. c. 27 legitur, ubi XXXII judices in causa Oppianici fuisse Cic. dicit. Nostro fragmenti loco XXXXVIII judices sententias tulisse legimus. Equidem tam minutarum rerum accuratam scientiam non a falsario profectam putem.

FRAGMENTUM II.

FVLGVRAVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN. SVMMA. VELIA. PAVLLVM. A. MERIDIE.

Quam frequens sit prodigiorum apud Livium commemoratio, quibus referendis antiquorum religionem se imitatum esse et antiquorum annalium morem retinuisse ipse scribit (XXXXIII, 13), inter omnes constat. Nec ullus fere hujusmodi in Livio locus est, quin inter alia rerum aut hominum de coelo tactorum mentionem faciat. Talia igitur in actis ex Romanorum more praecipuum locum tenuisse quis infitias iverit? — At Tu, Clerci, ex Livio haec desumta contendis. Equidem negaverim. Livius enim nunquam ita, „fulguravit, tonuit et quercus tacta," sed simplicius. Voluit autem actorum scriptor non solum quercum de coelo tactam, verum etiam tempestatem cum fulguratione et tonitribus factam narrare; nam tam levia quoque actis non aliena erant. Nec illud concedendum, verba „in summa Velia" ex Livio compilata esse (cfr. Liv. XLV, 16). Non poterat enim haec res aliter dici ex communi dicendi ratione, et illum locum eo ipso nomine nuncupatum esse a Romanis, P. Victor probat, qui in regione X etiam *Summam Veliam* enumerat.

RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET. CAVPO. AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER. SAVCIATVS.

Accusas, Clerci, nostrum scriptorem, quod multis rixis referendis acta sua ditaverit (cfr. Fragm. VIII, IX, X). Sed petulans hic rixandi mos non sane rarus apud Romanos, maxime illo tempore, ad quod fragmenta tria, octavum, nonum et decimum, spectant, ut nihil mireris, acta tam multas rixas referendas habuisse. Quin id ipsum, quod tam saepe, per tres deinceps dies, uno die bis (fragm. VIII), rixae in actis nostris narrantur, actorum fidem tuetur. Quis enim non putet falsarium, ma-

jori narrationum varietati studentem, consulto earundem rerum repetitionem vitaturum fuisse? Sed ut id demonstrem, quod dixi Romanum vulgus rixosum fuisse, paucos locos apponam. Cic. pro Cluentio, 163, c. 59 ita dicit: „Atque etiam, ut nobis renuntiatur, hominem multorum hospitum, A. Binnium quendam coponem de via latina, qui sibi a Cluentio servisque ejus in taberna sua manus allatas esse dicat sqq.“ — Ita in cauponis agebatur; nec in theatro quidem rixis abstinuerunt. Cfr. Sueton. Tiber. c. 37: „Populares tumultus exortos gravissime coercuit: et ne orirentur sedulo cavit. Caede in theatro per discordiam admissa capita factionum et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit.“ — Quid quod ne in comitiis quidem rixae cum caedibus intermissae sunt, cfr. Dion. Cass. 39, 32 et 35 c. Sed nullo fere tempore licentius rixati sunt, quam eo, quod acta VIII, IX, X describunt. Hoc Asconius Pedian. probat, qui in orationem pro Milon. ab init. ita: „saepe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant.“ Cfr. praeterea p. 92, a, p. 91, b. Non parvum igitur momentum in relatis his rixis, quae illius temporis tam propriae fuerunt, inesse dixerim ad acta nostra defendenda.

Verba AD. VRSVM. GALEATVM. non parvam sane inter doctos homines litem commoverunt. Equidem tamen nec iis fidem habendam puto, qui errore GALEATVM pro PILEATVM a falsario scriptum putent, quemadmodum Wesselingius in Probabilibus p. 358 judicat, nec Tibi, Clerci, qui falsarium non quidem errasse, sed ex pileato urso galeatum quendam fecisse contendas, quo facilius suspiciosos falleret lectores, minusque detegeretur fraus. Non ita me expediam hoc loco, ut dicam nescio quem actorum descriptorem pro pileato legisse galeatum, quod utrumque scriptura minus distincta facillime poterat confundi. Id potius contendo, eodem jure, quo pileati ursi vicum fuisse scimus ex Sexto Rufo aliisque, quos Turrigius in Graevii Thes. Tom. XII, p. 394 nominat, potuisse quoque existere galeatum quendam ursum. Non enim tam accurati fuerunt ii, qui nobis Urbis antiquae regiones descriptas

reliquerunt, P. Victor et Sextus Rufus, quin multa singulorum vicorum nomina omitterent. Non raro enim ita enumerantur loca: Vici XV, Vici X, Vici IX, Vici VIII, nec tamen qui vici fuerint aut quomodo nominati additum. Quorum vicorum, nomine non dictorum, in numero cur non recte vicum quendam ursi galeati infuisse aliquis suspicetur? Et si vicus non exstiterit ejus nominis, recte poterat existere tabula aut signum quoddam ursi galeati. Innumera enim signa tabulasque fuisse Romae, a quorum singulis vici quidam haud dubie traxerunt nomen, testatur P. Victor in fine: „Tabulae et signa sine numero.“ Quid quod eadem nomina pluribus simul vicis aut statuis talibusque rebus epitheto tantum mutato dari solita fuisse apud Romanos certissimum est. Exempla haud rara sunt. Erat vicus Laci restituti, vicus Laci miliari, vicus Laci tecti; vicum habemus Fortunae dubiae, alterum quendam Fortunae respicientis, quartum Fortunae obsequentis, quintum etiam Fortunae vicinae; vicus erat Raciliani majoris, vicus Raciliani minoris, vici duo Sulpici et ulterioris et citerioris; duo vici Loreti et minoris et majoris; erat inter aquas et Anio novus et Anio vetus; erat Romae Hercules Olivarius, Hercules Triumphalis, Hercules Cubans, ut taceam multa alia ejusdem generis. Hoc igitur si verum est, quod modo diximus, quidni verisimillimum esse statuamus, eodem modo, ut Ursum pileatum quendam non uno loco fuisse scimus, etiam alia Ursorum genera excogitata habuisse Romanos ad loca quaedam ornanda et disignanda? Quid quod statuam *Ursi Togati* Romae exstitisse elegantissima inscriptio declarat, quae a Turrigio explicata legitur in Graevii Thesauro Antiq. R. T. XII, p. 394, cujus quin versus quosdam apponerem, facere non potui.

1) „Ursus Togatus, vitrea qui primus pila
2) Lusi decenter cum meis lusoribus etc.
6) Ego sum: orantes convenite pilicrepi
7) Statuamque amici floribus violis rosis
8) Folioque multo adque unguento

9) Onerate amantes et merum profundite," et quae sequuntur.

Qui Ursus Togatus licet vir fuerit, non bestia, tamen quaeritur, verumne hoc ejus nomen fuerit an jocose additum. Illud dubito, an statua illa non viri, sed bestiae toga ornatae et pilam fortasse vitream tenentis speciem tulerit. Nam ita per jocum factum; idque inscriptio ipsa innuit. Cfr. Vers. 6, et Vers. 12 et 13. Tale fere signum Ursi galeati exstitisse puto, cujus in vicinia caupona illa erat. Recte igitur caupo ille dicitur ita: caupo ad ursum galeatum. Praepositio enim *ad* hoc sensu quam frequens fuerit notissimum. Ita Sext. Rufus locum vocat: „*Ad Gallinas albas*," quem Victor quoque citat. In eodem P. Victore legimus locum, *ad Mansuetos* qui vocatus est, et Aedem Juturnae *ad aquam virginem*. Sic quoque in decimo actorum fragmento cauponis cujusdam ad tres tabernas, qui occisus sit in via publica, mentio fit. Unde concludo cauponas antiquorum ab insigni quadam re, quae ab iis prope abesset, appellari solitas esse. Nec nego illud, potuisse interdum quoque insigne illud ad ipsam cauponam affixum esse, id quod inscriptio Narbonnensis in Fr. Sam. de Schmidtii opusculis, Carolsruhae 1765, p. 392 videtur innuere [1]).

Fuerunt quoque, qui actorum scriptorem Ursum suum galeatum ex Sexti Rufi pileato finxisse putent. At illi quam miro errori se implicuerunt. Sextus enim Rufus recentiori quodam aevo repertus ab Onuphrio Panvinio Veronensi in commentariis reipublicae Romanae Venetiis ann. MDLVIII primum editus est [2]), tempore aliquanto seriori, quam quo acta nostra innotuerunt. Nam Vives jam, qui 1536 mortuus est, ea possedit. Ita hic quoque locus multa ab adversariis nostris audacia tentatus talis est, qui acta potius tueatur, quam dubiae fidei arguat. Unde enim falsario de tali urso poterat venire co-

---

1) „Hospitalis a gallo gallinacio."

2) De fatis Rufiani libelli, qui de regionibus Urbis scriptus est, cfr. Onuphrius l. l. p. 218 et 219.

gitatio, quum serius, quam acta sunt reperta de pileato et Togato Urso viris dd. innotuisset?

Qui sequitur locus hic est:

C. TITINIVS. AED. PL. MVLCAVIT. LANIOS. QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO. NON. INSPECTAM. DE. PECVNIA. MVLCATITIA. CELLA. EXSTRVCTA. AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

Qui locus sane eodem modo antiquorum moribus aptus est, nec puto eum a falsario ita commentum esse. Talia enim munera, qualia hic locus ostendit, aedilium plebis fuisse, notissimum, cui magistratui praeter aliarum rerum curam etiam popinarum et cupediarum omniumque, quae ad victum pertinerent, inspectionem demandatam fuisse scimus. Cfr. Pitisci lexic. s. v. Cfr. Lipsii exc. ad Tac. Ann. II, 85. Quam severi aediles fuerint, quam accuratam rerum minutarum etiam curam gesserint, locus etiam Senecae de vit. beat. c. 7 demonstrat, ubi *loca aedilem metuentia* commemorantur. Intelligit autem Seneca popinas et quae hoc genus sunt. De laniorum merce inspicienda non quidem locus est praeter nostrum alius, tamen ejusmodi inspiciendi mos quin aedilium fuerit, vix dubium est. Ipsa Senecae verba indicant. Licet etiam ex Sueton. Claud. c. 40 concludi saepius de laniis judicium factum esse. Nec ea multa, quam laniis imposuisse dicitur Titinius, a veterum moribus abhorret, licet Tu id omnino neges, doctissime Clerci. Nam quod ii ipsi, qui fures fuerint, furum deae Lavernae, nam ea erat (cfr. Fest. s. v. Laverniones; Acron interpr. Horat. ad Ep. I. 16, 60; Varro de l. l. IV; Plaut. Aul. II, 3, 31; Arnob. III, p. 115) cellam exstruere coacti sint, id Tu jocum quendam redolere censes non male quidem excogitatum a falsario, tamen a gravitate Romanorum aedilium alienissimum. Quid? si simillimos Livii proferam Tibi locos? Vix audeo; suggero enim Tibi promtissimum refugium, ut Livii imitationem factam esse clames. Tamen faciam. Livius enim X, 31 ita: „Eo anno Q. Fabius Gurges, consulis filius, aliquot matronas ad populum

stupri damnatas pecunia multavit. Ex quo multaticio aere Veneris aedem, quae prope Circum est, faciendam curavit." Simillimus locus est XXXIII, 42: „Aediles plebis, Cn. Domitius Ahenobarbus et C. Scribonius Curio, multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt: tres ex his condemnati sunt; ex eorum multaticia pecunia aedem in insula Fauni fecerunt." Stupri damnatae quod Veneri, pecuarii quod Fauno aedificare coguntur, nonne ironicum satis? Etiam id admonere hic liceat, Livii sermonem in his ab actis aliquanto differre. Paulo enim diffusior est Liviana oratio, ita ut injuria actorum scriptor eam imitatus esse dicatur.

AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

Dodwellus l. l. p. 677 inutili doctrinae abundantia novam deam Tellurem Lavernam invenit et qualis fere dea fuerit, ostendere conatus est; Wesselingius a scriptore actorum Tellurem Lavernam quandam confictam esse dicit, quae nulla fuerit. Uterque vir actorum scriptori injuriam fecit, alter defendendo, alter incusando nomine. Nodum autem jam explicuisti Tu, Clerci, meamque operam supervacaneam fecisti. Lavernae enim, quod est dandi casus, ad Telluris aedem cella exstructa est. Et poterat sane Laverna illa prope alterius deae aedem cellam habere. Ceterum frequens est talium cellarum apud veteres commemoratio. Cfr. Vitruv. 3, 1; Cic. Phil. II, 8; III, 12; Gell. 7, 1; Liv. 27, 11; 35, 41; 6, 29; 27, 25; Suet. Caes. 84. Quarum cellarum varius usus erat, vel ad condenda dona (cfr. Suet. l. l.), vel ad senatum aliosque coetus agendos (cfr. Cic. l. l.), vel ad statuas ibi virorum clarorum ponendas (Liv. 38, 56) aliaque ad similia. Conferenda erit etiam doctior paene Dodwelli expositio de cellarum usu ad h. l., p. 673, libr. c.

DE. MVLCATITIA. PECVNIA.

Livius eodem sensu saepius praepositione *ex* usus est; cfr. X, 31: *ex multaticio aere;* XXVII, 6; XXX, 39; XXXI, 40; XXXI, 50; XXXIV, 33: *ex multaticio*

argento; X, 33; XXIV, 16; XXXIII, 42: *ex multaticia pecunia;* XXXV, 10: *ex ea pecunia;* XXXVIII, 35: *ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam damnarunt;* rarius vero illo sensu praepositionem *de* adhibuit, XXXIII, 25: *de argento multaticio;* XXXV, 41: *de multa damnatorum.* Observandum est etiam, quod scriptura Livii *multaticius* per litteram C differt ab actorum lectione Pighiana. In vetustis quibusdam inscriptionibus est: *aere moltaticod*, cfr. Le Clerc. l. l. p. 302.

FRAGMENTUM III.

LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI.

Prodigia praecipuum in actis locum invenisse supra diximus, nec sane est, quod de veritate hujus prodigii dubitemus, licet magnas sane turbas haec pauca verba inter homines doctos commoverint. Litem is ipse commovisse videtur, qui acta longa explicatione interpretatus tuitusque est, Dodwellus. Is quum ad idem fere tempus lapidatum in agro Vejenti esse a Livio relatum legeret, non dubitavit, quin et actuarius et Livius eandem narrassent rem voluitque utrumque inter se conciliare. Quod non sine magna disquisitionis subtilitate fieri potuit. Nam id quod acta ad prid. Kal. April. adnotant, Livius in exitu prioris anni licet non multo, tamen paulo ante factum scribit. Hic XLIV, 18 expressis verbis: *Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nunciatum est, in Romano agro, simul in Vejentibus.* Haec inter se pugnare nemo non videt, nec ego discrimen ita componere audeam, ut Dodwellus fecit, ut demum post expiationem prodigium in acta relatum esse dicam, quamvis antea factum. Recte igitur et Dukerus et Tu, Clerci, sane inter Livium et acta aliquid repugnantiae esse contenditis. Id tamen non video, quo iure inde acta nostra falsissima esse concludantur. Dukerus certe hoc satis luculenter jam ex hoc

loco elucere putat. Cfr. Duker. ad Livium in edit. Drakenborch. V, p. 764. Te vero, Clerci, magis etiam miror, qui actuarium acta sua fere tota ex Livio compilasse dicis. Qui si Livium compilasset, itane caecus erat, ut quae aperte inter se pugnarent ita componeret? Non sane fecit, et id ipsum, quod cum Livio vel pugnant acta vel pugnare videntur, eorum integritatis testimonium est. Nec id quidem firmiter probari potest, Livium et actuarium eandem rem voluisse narrare, licet hoc sit verisimile. Sed quaero, potueritne etiam Livius tempore errare. Equidem certe ita persuasum habeo, si exstarent acta vel paucorum annorum integra, quam multis Livio, aliisque historicis vel contradicerent vel contradicere viderentur? — Quin et hic locus videtur fortasse magis Livio obloqui, quam re vera obloquitur. Livius enim in exitu anni lapidatum in Vejentibus dicit. Cujus rei nuntius non sane eodem die, quo facta est, Romam allatus. Quanquam igitur in exitu anni prodigium factum illud sit, non poterat tamen non in actis postea evulgari.

Nec Tibi id concedendum est, Clerci, quod vocem Livii, *lapidatum esse*, vere antiquam dicis, quam falsarius in minus antiquam commutaverit, *lapidibus pluit*. Nam Livius ipse omnino saepius dixit *lapidibus pluit*, quam illud alterum, *lapidatum est*. Hoc duobus locis legi, XLIV, 18, et XLII, 2; illud saepius: XXXV, 9; XXXVI, 37; XXXVIII, 36; XXXIX, 22. Semel dixit: *imbri lapidavit*, XLIII, 13. Nec raro occurrunt illa: *terra pluit*, *sanguine pluit*; sed dixit etiam *sanguinem*, *lapides pluit* (cfr. Liv. XXVIII, 27; XL, 19).

POSTVMIVS. TRIB. PLEB. VIATOREM. MISIT. AD. COS. QVOD. IS. EO. DIE. SENATVM. NOLVISSET. COGERE. INTERCESSIONE. P. DECIMII. TRIB. PLEB. RES. EST. SVBLATA.

Brevis haec narratio de lite inter consulem tribunumque plebis agitata et ab alio quodam tribuno per intercessionem sublata nihil habet, quod fide indignum sit. Causa litis, quod consul eo die senatum noluerit cogere,

per se levissima videtur, sed poterat gravior quaedam subesse. Falsarius, credo, graviorem excogitasset. Quod Tu, Clerci, haec imitationem et Livianorum et Ciceronianorum locorum (cfr. Liv. II, 56; Cic. in Vatin. c. 9 et pro Fontej. c. 13), prae se ferre dicis, nulla re probari poterit. Similes lites inter tribunos et consules fuisse nemo ambigit. Similes autem loci si de falsitate loci alicujus documentum essent, plurima ea essent supposititia habenda, quae sine ulla dubitatione integra sunt. Nomina tribunorum et Postumii et Decimii ceterum ignota sunt. Illud, *res est sublata*, minime Livium redolet. Livius enim IV, 40: *discussum est*, XXIX, 37; *res est discussa.*

Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE. ARGENTARIAE. AD. SCVTVM. CIMBRICVM. CVM. MAGNA. VI. AERIS. ALIENI. CESSIT. FORO. RETRACTVS. EX. ITINERE. CAVSAM. DIXIT. APVD. FONTEIVM. BALBVM. PRAETOREM. ET. CVM. LIQVIDVM. FACTVM. ESSET. EVM. NVLLA. FECISSE. DETRIMENTA. IVSSVS. EST. IN. SOLIDVM. AES. TOTVM. DISSOLVERE.

Nullus paene locus est, qui plures actorum defensori afferat difficultates, nullus in quo eorum adversarii firmiora sententiae suae fulcra invenisse sibi videantur. Duae inprimis sunt res, quae locum suspiciosum reddant. Primum enim dicitur argentarius ille ad scutum Cimbricum negotiatum esse. Quis non jure miretur hoc loco a Cimbris scutum aliquod denominatum reperiri, qui quinquaginta fere annis post demum in Italiam irruperunt? Exstant etiam loci, qui illud scutum a Mario positum demonstrent, unde etiam scutum Cimbricum Marianum dictum est. Cic. de Orat. II, 66: *demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub novis.* et sqq.; cfr. Quinct. VI, 3, 38. Tabernas autem illas antiquiori Urbis tempore jam ibi fuisse, negari nequit, licet scutum illud Cimbricum omnino serius appositum sit. Cfr. Liv. III, 48: *ad tabernas, quibus nunc Novis est*

nomen. Quae nostri loci difficultas sane magna quomodo expediri possit, in fine dissertationis ostendam. Venio ad alterum loci impedimentum, quod non minus scrupuli injicere possit, ab adversariis actorum magna cum causae suae fiducia adductum. Nam Fontejum Balbum praetorem, apud quem argentarium illum causam dixisse legimus hoc loco, ex Livio ne Romae quidem tum affuisse demonstrasse sibi visi sunt viri illi docti. Cfr. Wesseling. l. l. p. 360, Le Clerc. l. l. p. 308. Livius enim XXXXIV, 17, ubi de consulum praetorumque provinciis distribuendis refert, ita: *Consulum, Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Praetores, Cn. Baebius urbanam, L. Anicius peregrinam et si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fontėjus Hispaniam, M. Aebutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.* Ecce Fontejus noster, ab eodem Livio paulo supra eodem cognomine Balbi dictus, Hispaniam sortitus esse dicitur, quem acta praetoris aut urbani aut peregrini (hoc enim non liquet) munera obeuntem ostendunt. Praetores autem excepto Papirio in provincias suas ivisse idem Livius XXXXV, 12, innuit ita: *Et praetores, praeter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias iere.* Unde apparet Fontejum in Hispaniam profectum esse, nec ego negaverim; id autem, quod Wesselingius eum Romae non haesisse, extemploque abiisse dicit, ita ut ante III Kal. April. non amplius adesset, locus Livii minime probat. Immo verisimile satis est, Fontejum Romae etiamtum fuisse. Nam quum nihil tum antiquius haberent Romani, quam ut consul in Macedoniam proficisceretur, tamen is demum prid. Kal. Apriles ex urbe cum Octavio praetore egressus est. Cfr. Liv. XXXXIV, 22. Non autem crediderim ceteros praetores prius etiam Roma abiisse. Obtinebat etiam haec fere regula, ut praetores Aprili aut Majo mense, aut paulo etiam post in provincias irent, vix autem prius. Quare verisimillimum esse quod sexto fragmento actorum narratum legimus, IV Nonas Apriles M. Aebutium in provinciam suam Siciliam esse profectum, etiam actorum adversarii fortasse concedent. At licet

Romae fuerit tum Fontejus, adversarii inquient, quid ei, cui Hispania evenerat, cum jurisdictione urbana? Quae objectio sane non facile videtur refutari posse. Attamen non poterit hoc nostro scriptori ita objici, quasi ignoraverit verum urbanae sortis praetorem. Nam fragmento I ipse Cn. Baebium praetorem urbis attulit, iterumque fragmento VI; stultissimus igitur fuisset, si ipse sibi contradixisset, stultissimus, si Livium, quem ei ante oculos fuisse arguunt, legisset quidem, sed ita legisset, ut quae eadem paene linea sequerentur, neglexisset. Non sane ita est; sed quam noster locus praebet difficultatem, talis est, quae miro modo actorum sinceritati patrocinetur. Falsarius enim talia fingere ausus non esset, quae recte explicari credique posse non viderentur. At vera acta, eaque paucorum dierum ex serie aliorum dierum erepta, sui temporis hominibus destinata, ea etiam attulisse credenda sunt, quae explicationis summam haberent difficultatem. Tale hoc nostrum est de Fontejo. Quod tamen ita explicem, ut Fontejum vicarii vices obtinuisse credam. Poterat etiam ei haec cura demandata esse a senatu, ut per tempus quoddam certum aliquod jurisdictionis genus procuraret. Nec sane exemplis caret ejusmodi res. Ita Dio Cassius compluribus locis narrat novos praetores in aliorum locum etiam in paucos dies suffectos (cfr. Dio Cass. XXXXVII, 15; XXXXVIII, 32); et quod magis ad nostram rem quadrat, mortuo praetori extrema praeturae die alium suffectum esse, idem memorat Dio lib. XLIX, 43; aegroto praetori filius suffectus est (vid. ibid.), peregre profecto alius vicarius datus, cfr. Dio Cass. LIV, 19. Quae exempla licet inferioris sint aetatis, tamen, qualis fere in his statuendi norma valuerit, in universum poterunt ostendere. Accedo ad explicandam causam ipsam. Quod foro cessisse dicitur mensarius, sane antiquitatis moribus respondet. Bene huc facit locus Plautinus Pers. III, 3, 28:

Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii:

Ubi quid credideris citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis cum emissu' est lepus.

Cfr. etiam Ulpian. in l. si hominem. D. Depositi: *Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum.* Cfr. Juv. XI, 50.

Causa ipsa nostri mensarii coram praetore sic acta judicataque esse videtur. Primum quibus quantumque deberet mensarius ex tabulis ejus cognito, institutaque pecuniae ejus numeratione, liquidum factum est, eum nulla fecisse detrimenta. Quae ipsa res auxilio ei esse debebat, ne gravius in eum consuleretur. Tamen poena aliqua sequi oportebat illum ex foro cum fraude cedentem, quam esse praetor voluit eam, ut *in solidum aes totum dissolveret. Aes* hoc loco non de pecunia, quam haberet in taberna, sed de aere ejus alieno intelligo. Alieni vox omissa, quia paulo antecesserat facileque poterat intelligi. Dicunt vero latini *aes alienum dissolvere.* Cfr. Cic. pro Sulla 20. §. 56: *aes alienum ejusdem dissolutum est.* Offic. II, 24: *Nunquam nec majus aes alienum fuit, nec melius, nec facilius dissolutum est.* Terent. Phorm. IV, 3, 50: *Qui dissolverem, quae debeo.* Aes totum igitur hoc loco pro iis omnibus, quae deberet mensarius, dictum est. Aes autem alienum suum *in solidum* solvere coactus, hoc est, ita, ut tantundem, quantum cuique deberet, non partem debiti dissolveret. Dixerit quispiam, nihil in hac re fuisse poenae, quum nihil justius sit quam quod debeas totum solvere. Attamen sane hoc poenae loco fuisse facile ex Quinctiliani loco concludimus, qui de jure mensariorum quaedam affert actorum locum bene illustrantia. Quinctilianus enim Orat. Instit. V, 10, 105 ita: *Et illa, in qua lex est, ut argentarii dimidium ex eo, quod debebant, solverent, creditum suum totum exigerent.* Dimidium igitur eorum, quae deberet, solvendum erat ex jure mensario; quo jure mensarius privatus est a praetore, ita ut solidum solveret. Nihil igitur tautologici in dictione inest *in solidum aes totum,* id quod Tibi, Clerci, videtur; dictio potius tam accurata, ut verbum nullum superfluat.

Restat, ut veteres illud *in solidum* ita, ut modo dixi, usurpasse ostendam; nam strictiori quoque sensu in usu et fuisse et esse nunc apud juridicos, me haud fugit. Dig. tit. de edendo II, 13: *in solidum tenetur.* Gaji inst. IV, §. 73: *pro quinque (sestertiis) quidem in solidum damnari debes, pro ceteris vero quinque eatenus, quatenus in peculio sit.* — Tacit. Annal. VI, c. 17: *Sed creditores in solidum appellabant, nec decorum appellatis minuere fidem.* Haec est mea illius causae interpretatio, ex qua id puto intelligi, non facile tam apte a falsario ex intimo mensariorum jure potuisse litem quandam fingi, qualem hic relatam legimus.

FRAGMENTUM IV.

PRID. K. APRILEIS. LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM. IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.

Pridie K. April. Latinas celebratas esse etiam Livius XLIV, 22 testatur: *Ab hac concione, Latinis, quae pridie Calendas Apriles fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt.* — Sunt tamen, quae inter Livium et actuarium discrepent, certe discrepare aperte videantur. Livii enim locum qui legit, nonne ita sentiat, ut consulis exitum Latinis ipsis factum putet? Acta aliter omnino. Nam prid. Kal. Latinas celebratas scribunt, sequenti diei, Kalendis ipsis, profectionem consulis attribuunt. Utri fides habenda, Livio an actuario? — Quam tamen utriusque discrepantiam non debile sane actorum integritatis documentum esse puto. Falsarius enim, qui aliunde haec haurire non potuit, nisi ex Livio, itane acta sua Livio repugnantia ficturus fuit? Attamen non falsarius finxit, et facile ex actis, accuratius sane res singulas exhibentibus, Livium explicamus de minutiori temporum descriptione securum. Nam qui Livii verba

ita conjungit: *Latinis profecti sunt* — non recte interpretari locum videtur. Construamus verba sic: Latinis (quae prid. Kal. fuerunt) in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde (h. e. a concione) profecti sunt. Temporis significatio igitur, *Latinis*, pertinet ad ablativos *sacrificio perpetrato*, non ad verba: *profecti sunt*. Quo die igitur profecti sint, Livius non dicit; illud tantum dicit profectos esse et consulem et praetorem, postquam Latinis, quae prid. Kal. fuerint, sacrificium rite perpetratum sit. Nec illud dici debet, *inde* si ad verba *ab concione* respiciat, per tautologiam idem esse bis dictum. Voluit enim Livius hoc ipsum, quod a concione profecti sint illi cum emphasi proferre, quare ad illud *a concione* revocat lectorem verbis *protinus inde*. Cui loci explicationi tota Livii narratio congruit. Quis enim putet quum Latiar in monte Albano esset et visceratio populo daretur, concionem habitam esse? Jam igitur, quod Livius ex actis, non acta ex Livio possunt explicari, nonne egregium actorum integritatis testimonium esse dicamus?

Accedit alterum, quod actis suffragetur, illud, quod Livius etiam alia in re actis non satis congruit secumque ipse pugnat aut pugnare videtur. Nam libr. eodem c. 19 Aemilium Paullum ita facit in senatu loquentem: *Et ne quid profectionem suam teneret, prid. Idus Apriles Latinis esse constitutam diem.* Altero loco (c. 22) Kalendis, altero Idibus Latinas tribuit Livius. Credamusne haec tam incerta atque inter se aperte repugnantia falsarium imitanda sumturum fuisse ex Livio? Poteratne alia certiora invenire, quae offensam non haberent? At quid de Livio statuendum? Alterumne locum ex altero emendemus? Interpretes non satis sunt ausi, et librorum manuscriptorum auctoritatem noluerunt evertere. Quod sane recte fecisse videntur. Non semel enim in Livio legimus in orationibus talia proferri, quae ipse Livius alio loco in rerum narratione aliter narraverit. Cfr. XXI, 15 et XXI, 30 aliasque. Potuit etiam tempus Latinarum praereptum esse, licet prius aliter statuerit consul. Ceterum Dodwellus, temporum accuratissimus computator, magna

cum probabilitate Latinas in Kalendas, non Idus incidisse ostendit. Cfr. l. l. p. 682. SACRIFICATVM. Hoc consulum erat, ut saepe in Livio legimus. Cfr. XXI, 63. VISCERATIO. DATA. Viscerationem Latinis dari solitam constat. Cfr. Servius ad Aeneid. I, 215. Livius quum Latinas celebratas refert, nunquam addidit illud *de visceratione* data, sed aliter semper; non igitur haec ex Livio hausit actuarius. Falsus igitur Tu, Clerci, nam quae de funeribus narrat Livius, non debebas ad Latinas referre.

INCENDIVM. IN. CAELIOLO. INSVLAE. DVAE. ABSVMTAE SOLO. TENVS. ET. AEDES. QVINQVE. AMBVSTAE. QVATVOR.

Lipsius, antiquitatis mirum in modum gnarus, bene ad hunc locum lectores revocavit, quum vellet demonstrare, antiquiori urbis tempore plures aedes in urbe quam insulas fuisse, quam rem seriori tempore omnino commutatam esse scimus. Cfr. Lips. ad Tacit. Annal. lib. XV. (p. 455, edit. ann. 1581). Quam accuratissimam rerum remotissimarum scientiam falsarii propriam fuisse, quis suspicetur? Nec contemnendum est Lipsii testimonium, qui auctor primus est et is gravissimus actorum fidei. Addam unum, quod Te, Clerci, miratus sum, quomodo aedes potueris vertere per vocem *temples*, miratus eo magis sum, quod incendium falsario ob oculos fuisse credis a Livio XXIV, 47 relatum, quo tria templa, Fortunae, Matris Mutatae et Spei conflagrarunt. Quae tria templa cogitationem falsario dedisse, ut quinque faceret perire. Mirum sane errorem; nam quas actuarius aedes dicit, domus sunt; et domus sane ab insulis diversas fuisse ipse doces, Clerci. Quod de etymo vocis insulae profers, non male excogitatum est. Insulae enim mihi quidem non a forma quadam aedificiorum talium, quamvis diversa fuerit a domorum forma, sed ab usu, cui destinatae erant, denominatae esse videntur. Nam talia aedificia erant, quae collocarentur; conductores insularii dicti, qui proprie insules, i. e. incolentes erant dicendi, ita ut insul

ejusdem originis sit, ac verbum exsul, tamen usu derelictum et obsoletum. Domus autem aedificia sunt, quae uni possessori essent aptae; quare tales domus non nisi nobilium et divitum erant propriae et in hunc usum suo modo aedificatae. Multitudo hominum ingens Romam confluentium deposcebat mox alia aedificia, haud dubie ad aliam quandam rationem aedificata, quae ad collocandum idonea multis simul possent habitationem praebere. Hae insulae dictae. Multorum igitur tabulatorum erant insulae, non ita domus. Cfr. Gell. XV, 1. Quam quaestuosa ceterum fuerit insularum possessio, tamen etiam quam incerta propter crebra Romae incendia idem Gellius testatur l. l.

DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPTVS. A. LICINIO. NERVA. LEGATO. IN. CRVCEM. ACTVS.

Archipiratae vocem et in Livio et in Cicerone aliasque occurrit, et erat sane illud Graecum *archi* in compositione verborum apud Latinos quoque receptum ad munera quaedam designanda eorum, qui aliis sui generis hominibus praeessent. Talia sunt: *Architectus*, *Archimimus* (inscriptt. et Sueton.), *Archiereus*. *Archisynagogus*, *Archinauta*, *Archigubernus*, *Archigallus* (Plin. H. N. XXXV, 10), *Archimagirus* (Juvenal. IX, 109), *Archipraegustator* et *Architriclinarius*, *Architriclinarchus* et similia alia in inscriptionibus veteribus. Usu quoque receptum erat apud Romanos, ut piratae in crucem tollerentur. Illud etiam notissimum, quam perniciosi Italiae littoribus provinciisque Romanis piratae illi fuerint. Quare quae hoc loco de archipirata capto leguntur satis verisimilia sunt dicenda. Illud majorem litem commovit inter viros doctos, quis Cn. Licinius Nerva legatus fuerit.

Duo inveniuntur hujus temporis Licinii, A. Licinius Nerva et C. Licinius Nerva, quorum alterum in Macedoniam missum fuisse legimus in Liv. XLIV, 18; alter Cajus L. Anicii in Illyrico fuit legatus. Cfr. Liv. XLV, 3. Ille tum Romae non aderat, hic nondum profectus fuisse videtur. Nec praenomina sinunt alterum

eorum pro legato, quem acta dicunt, haberi. Id tamen bene animadvertendum est, hoc quoque in nomine acta Livio non congruere, et falsarium, si fuit actorum auctor, ne hoc quidem loco imitatorem Livii se prodere. Multa Dodwellus movet, ut aut a Cajo hoc, aut ab Aulo illo archipiratam capi potuisse ostendat facileque praenomina inter se commutari dicit. Equidem totam hanc quaestionem non inutilem quidem, non certam tamen satis puto: nam potuit etiam tertius quidam Cn. Licinius Nerva esse, qui archipiratam caperet. Nam multos Licinios Nervas fuisse recte suspicamur. Sic Publium quendam Licinium Nervam legimus in fragmentis Dionis, ed. Reimari p. 42 et in Livii supplementis Freinshemianis 67, 30.

Illud addam verisimile non esse, in urbe in crucem sublatum esse Demiphontem, ubi captus non est; sed nescio quo in littore punitus a legato, nuntius vero hujus rei Romam allatus et in urbanis actis divulgatus est. Haec ita esse Romani tum viventes facile sciebant, nobis non satis constat, conjicere tamen licet. Communis autem omnium virorum doctorum error est, nomine actorum urbanorum exortus, nullas nisi urbanas res in illis actis divulgari solitas esse, quem errorem refutavi in programmate meo p. 12.

VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITVM. COS. SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT. IVVENTVTEM. IN. CAMPO. MARTIO.

Ne hunc quidem locum actorum adversarii intentatum reliquerunt; tamen magis ea attulerunt, quae locum defendere, quam quae offendere possint. Provocarunt ad Livium XXXIX, 15 ita scribentem: *Majores vestri ne vos quidem, nisi quum aut, vexillo in arce posito, comitiorum causa exercitus eductus esset, aut plebi concilium tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt.* Cum hoc Livii loco composuerunt Dion. Cass. libr. XXXVII, 7. c. 27 et 28: *῾Ο Μέτελλος ὁ Κέλερ — ἐνεπόδισεν. ᾿Επειδὴ γὰρ οὔτε ἄλλως ἐπείθοντό οἱ, οὐθ᾽ ὅτι παρὰ τὰ νενομισμένα ἡ*

κρίσις ἐγεγόνει ἐνεθυμοῦντο, ἀνέδραμεν ἐς τὸ Ἰανίκουλον πρὶν καὶ ὁτιοῦν σφᾶς ψηφίσασθαι καὶ τὸ σημεῖον τὸ στρατιωτικὸν κατέσπασεν· ὥστε μηδὲν ἔτ' αὐτοῖς ἐξεῖναι διαγνῶναι. Cap. 28: Τοῦτο δὲ τὸ κατὰ τὸ σημεῖον τοιόνδε τί ἐστι· πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων τῇ πόλει προςοικούντων, φοβούμενοι μήποτε, ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τοὺς λόχους, ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει, τὸ Ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντες ἅμα ψηφίσασθαι, ἀλλά τινας ἀεὶ ἐνόπλους τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν. Καὶ αὐτὸ, ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν, ἐφρούρουν· ὁπότε δὲ διαλυθήσεσθαι ἔμελλε, τό τε σημεῖον καθῃρεῖτο, καὶ οἱ φύλακες ἀπηλλάσσοντο. Οὐ γὰρ ἐξῆν, μὴ φρουρουμένου τοῦ χωρίου ἐκείνου, οὐδὲν ἔτι χρηματισθῆναι. Τοῦτο δὲ ἐν μόναις ταῖς κατὰ τοὺς λόχους ἀθροιζομέναις ἐκκλησίαις ἐγίνετο, ὅτι τε ἔξω τοῦ τείχους καὶ ὅτι πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀνάγκην εἶχον ἐς αὐτὰς συνιέναι· καὶ ἔτι τε καὶ νῦν ὁσίας ἕνεκα ποιεῖται.“ Ad hunc locum Sponius Dionis editor alios locos attulit, ut Macrob. Saturn. lib. I, c. 16: *praeliales dies a justis non segregaverim, siquidem justi sunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rufi coloris in arce positum est.* Qui Servium ad Aeneid. VIII, 1 huc retulerunt, non recte fecerunt; ibi enim de alia re ita: *Qui fuerat ducturus exercitum, ibat in Capitolium et exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat: et unum caeruleum, quod erat equitum, nam caeruleus color maris est, a cujus deo equum constat inventum, dicebat: Qui rem publicam salvam vult, me sequatur.* Nam ibi de ea militia Servius, quae *conjuratio* dicebatur, quae quidem fiebat in *tumultu*; non de sacramento, ut nostro loco. Sed recte huc retulerim locum Arnobii lib. II, p. 114: *Cum paratis bella, signum monstratis ex arce.* Quid multa? Certum est in comitiis centuriatis, quae extra urbem in Campo Martio habebantur, illud signum rufi coloris in Janiculo poni solitum esse, nullam aliam ob causam, quam quod illa comitia instar exercitus erant. Cfr. Laelii Felicis verba apud Gell. N. A. XV, 27: *Centuriata autem comitia intra pomoerium fieri nefas esse: quia exercitum extra urbem imperari oporteat; intra ur-*

bem imperari fas non sit. Propterea centuriata in Campo Martio haberi, exercitumque imperari praesidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Jam quum omnis juventus, quae armis esset ferendis, extra urbem in Campo Martio sacramento adigeretur, nonne idem causae suberat, cur vexillum rubeum in arce poneretur? Nonne eodem modo urbs praesidii egere videbatur educta juventute? Quare dubitari nequit, quin eodem modo, atque in centuriatis comitiis factum est, etiam quum in Campo Martio juventus convenire debebat sacramenti causa, vexillum illud in arce positum sit. Quare, quod ad accusanda acta proprie excogitatum est, ad eorum integritatem probandam mirum in modum facere videmus. Neutiquam enim haec a falsario inveniri poterant, quippe quae nullo antiquitatis loco legerentur, nusquam enim ne verbum unum quidem de vexillo sacramenti causa posito; sed ex ipsa antiquitate hoc narratum ad nos devenit; nam quamquam aliis ejusdem generis exemplis destituti sumus, tamen ex accurata argumentatione non posse non verum esse facile perspicimus. Neque id, quod praeterea Wesselingius ad hujus loci falsitatem demonstrandam efficere studuit, delectum in Capitolio, non in Campo Martio haberi solitum, satis verum est. Nam non solum Dionys. Halic. VIII, p. 554, sed etiam Liv. III, 69 juniores in Campo Martio delectus causa convenisse scribit, quamquam aliis locis delectum in Capitolio habitum legamus, cfr. Liv. XXVI, 31 (Wesseling. falso 21 exhibet), et Polyb. VI, 17. Unde concludendum est, non uno semper loco delectum esse habitum et pependisse hoc ex arbitrio consulum. Nec id quidem mihi satis adhuc a viris dd. exploratum esse videtur, num uno eodemque loco et delectus et sacramenti dictio facta sit. Nam poterant haec, quum re diversa essent, etiam et locis et temporibus diversis perfici. Equidem haec omnia non tam restricta fuisse, sed pro temporibus et arbitrio magistratuum agitata, facile mihi sumserim. Locutio illa, *sacramento adigere*, Livio est usitatissima (II, 1; III, 2; VI, 32, 38; VII, 9, 11;

IX, 28, 43; X, 4, 21 et alias); dicit tamen etiam: *in verba jurare* (XXII, 11). Illa ratione dicendi Tacitus quoque saepe usus est, solemnisque erat de militum sacramento. Illud mireris, quod acta dicunt *sacramento novo* adactam esse juventutem. Tamen ne hoc quidem inaniter additum videtur. Nam juventus illo tempore nondum omnino in verba juraverat. Restat unum, quod ad hunc diem addam, ut ostendam, quomodo possit explicari illud, quod ipso Latinarum festo supplicium de pirata sumtum legatur, quae res est sane moribus Romanis contraria. Dubitatum quoque est, num recte potuerit juventus sacramento adigi a consulibus, quibus illo die in monte Albano Latiar erat conficiendum. Alterum sane injuria dubitatum est; non enim per totum diem visceratio illa durasse cogitanda est, quippe quae mane inciperet, ita ut post meridiem facile potuerit in Campo Martio juventus sacramentum dicere. Alterum vero, quod dixi, sagacissime, ut solet, Wesselingius actis opposuit et satis quidem recte, ut videtur. Nam Macrobius ita Saturn. I, c. 15: *Feriis vim cuiquam fieri piaculum esse. Ideo tunc vitari nuptias, in quibus vis fieri virginibus videtur.* Jam quum ne nuptiae quidem illo die fierent, nonne majus erat piaculum extimescendum piratae supplicium? Attamen difficultatem illam jam supra diluimus; nam supplicium non Romae sumtum, immo ne eo quidem die sumtum puto; sed illo modo die diurnis actis divulgatum est.

FRAGMENTUM V.

KAL. APRIL. L. AEMILIO. PAVLLO. II. C. LICINIO. CRASSO. COS.

Minime negligenda est hujus diei praescriptio nomina duorum consulum exhibens. Nam deest talis utriusque consulis nominatio in antecedentium dierum actis, quae nihil nisi penes quem fasces fuerint adnotant. Quid haec subita utriusque consulis commemoratio? At sane ea

habet probabilem causam. Hoc ipso enim die non vices erant fascium; uterque enim suas fasces consul habebat et qui paludatus exiit et qui in urbe cùm imperio remansit. Hanc ipsam ob causam actuarius utriusque consulis praescripsit nomen. Jam in sequentium dierum actis nihil nec de consule nec de fascibus legitur, quod haud miraberis. Nam unus tantum aderat Licinius apud quem fasces non poterant non esse. Haec tam subtilia ex usu Romanorum consulum deprompta non puto falsarium invenisse; de quibus omnibus si recte cogitasset ceterum vir sagacissimus Wesselingius, haud id ipsum, quod subito utriusque consulis nomina in fronte hujus fragmenti legerentur, tam maligne taxasset. Ex qua anxia accurataque fascium, penes quem fuerint, commemoratione indeque, quod eo die, quo uterque consul summam habebat potestatem, utriusque nomen in actis scriptum est, apparet quoque, quam fuerint in hujusmodi rebus veteres diligentes et quemadmodum in actorum quoque praescriptione, ne quid uni vel alteri consulum honoris detraheretur, caverint. Ne haec quidem omittenda putavi, nec minimi momenti ad nostram esse quaestionem censeo.

PAVLLVS. COS. ET. CN. OCTAVIVS. PRAETOR. PALVDATI. EGRESSI. SVNT. VRBE. IN. PROVINCIAM. MACEDONIAM. PROFECTI. INGENTI. ATQVE. INVSITATA. FREQVENTIA. PROSEQVENTE.

Ecce locum, qui miro modo cum Livio concinit, cum Livio, dico, a quo tam saepe acta discrepare videntur. Livius enim XXXXIV, 22: *Ab hac concione, Latinis, quae pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriae, majore quam solita frequentia prosequentium consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.* Utriusque loci et Livii et actorum similitudo maxima; attamen Livius minus simpliciter narrat; quin plura addit, quae

nescio an falsarius exscripsisset, si Livium imitari voluisset. Tenendum quoque illud est, frequentias prosequentium a Romanis accuratissime et observari et memoriae prodi solitas esse. Livii talibus in rebus annales veteres monumentaque publica maxime sequentis testimonio utar. Cfr. XXII, 40; XXVII, 40 et 51; XXVIII, 38 *(ceterum comitia majore, quam ulla per id bellum celebrata frequentia proditum memoriae est)*; XXVIII, 50, aliasque. Aliam praeterea habet haec de exitu consulis narratio quaestionem eam, num licuerit consuli ante peractas Latinas, quas tum per quatuor durasse dies scimus (Liv. VI, 42 in fin., Dionys. H. VI, p. 415) in provinciam egredi. Quae quidem quaestio a Wesselingio commota atque a Te, Clerci, cupide arrepta est, et uterque vestrum id ipsum, quod secundo Latinarum die urbe exiisse dicatur consul, contra Romanorum mores fuisse censetis. Verum quidem id est, non licuisse consuli bellum gesturo ante Latinas, antequam vota in Capitolio nuncupasset riteque Jovi Latiar fecisset, urbem relinquere (cfr. J. Caes. bell. civ. I, 6); sed quis tandem docuit Vos, quanquam communis hic omnium doctorum hominum error est, consuli necessitatem fuisse impositam, ut per totos Latinarum quatuor dies Romae maneret? Immo potuisse consulem vel primo Latinarum die exire contendo, modo confecto solemni sacrificio suo. Videamus Livium optimum hujus rei testem. Lib. XXV, 12: *Romae consules praetoresque usque ante diem quintum Calendas Majas Latinae tenuerunt. Eo die perpetrato sacro in monte in suas quisque provincias proficiscuntur.* Livium semper Latinas ferias, si ad diem describat, a primo feriarum die denotare bene tenendum; id quod etiam hoc loco factum esse vix audeam negare. Eo ipso autem die consules abiisse legimus. Libr. XXI, 63 infesti Flaminio patres id exprobrant, quod Jovi Latiari solemne sacrum in monte non fecisset. Quodsi per quatuor dies sacra facienda erant consuli, cur non dicunt plurali „solemnia in monte sacra"? Ita XLIV, 19 de uno tantum sacrificio in Latinis perficiendo sermo est. Quod sacrum primo Latinarum die fuisse certissimum.

Semper autem Livius addit de illo sacro, satisque indicat, fuisse id causae, cur consuli non antea esset in bellum proficiscendum. Audienda etiam sunt, quae Paullus Aemilius ipse de profectione sua locutus esse a Livio XLIV, 19 scribitur: *Sacrificio rite perfecto se et Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse.* Nihil, unde profectio sua penderet, significavit, nisi sacrificium illud. Hoc autem, quin a Paullo primo Latinarum die sit perfectum, quis dubitet? Fragmentum IV. indicat his verbis: *Latinae celebratae et sacrificatum in monte Albano.* Falsarius nescio an haec ultima pluribus exposuisset.

CV. . . . . TOTA. SACRA. VIA. EX. AEDIBVS. . . . . VSQVE. AD. CARINAS. ET. SACELLVM. STRENIAE. MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.

Hunc locum lacuna non parum laborantem de incendio, quod per totam sacram viam grassatum esset, intellexerunt ad unum omnes interpretes. Cujus rei ne minimum quidem in loco vestigium apparet, nec aliunde de tali incendio quidquam innotuit. Immo vix aliter locum explicari posse puto, quam de prosequentium agmine, quod per totam sacram viam pervenerit. Si liceat ex conjectura locum restituere, ita scripserim:

CVrsatio prosequentium TOTA SACRA VIA EX AEDIBVS regis VSQVE, et quae sequuntur.

Nam per sacram viam consuli a Capitolio iter suum incipienti (Liv. XXXI, 14) exeundum erat ex urbe; hunc solito frequentiorem hominum prosequentium concursum vicinis de consulis exitu aut non satis cogitantibus aut ignaris omnino potuisse terrori esse, non est, quod negemus. Cursationis vocem, quam supplevi, de concurrentium tumultu usitatam esse, facile demonstratu est. Donatus ad Terent. Hecyr. III, 1, 35, ubi cursandi vox legitur, haec adnotavit: *Trepidatio ad vocem refertur loquentium, cursatio ad sonum pedum.* Livius vocem

concursationis et concursandi usurpavit XXI, 63, et saepius eandemque et Cicero et Caesar, quam, si placeat, possis quoque hoc actorum loco scribere. Nam illud CV videtur corruptum esse; Voss. habet GN.

Vocem *Regis* post AEDIBVS excidisse tam certum est, ut de hac re ne disceptari quidem possit. Nam apud Festum s. v. *sacra via* ita legitur: *Sacram viam quidam appellatam esse existimant, quod in ea foedus ictum sit inter Romulum et Tatium. Quidam, quod continue utantur sacerdotes Idulium sacrorum conficiendorum causa. Itaque neque eatenus quidem ut vulgus opinatur sacra appellanda est a Regia ad domum regis sacrificuli, sed a regis domo ad sacellum Streniae et rursus a Regia usque in arcem*, et sqq. Huc referendus etiam locus Varronis de ling. lat. IV, 15 edit. Bipont.: *Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinae, postea Cerionia, quod hinc oritur caput sacrae viae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem.*

Hanc actorum lacunam, quam quidem non ad verbum explere possis, cujus sensus tamen qui fuerit suspicari nobis licet, non parvum sane momentum esse putaverim ad actorum fidem probandam. Tam accuratam enim antiquitatis notitiam prodit, ut non a falsario fallendi causa confictam putem. Hoc quoque actis patrocinatur, quod jam antiquissimi actorum descriptores locum non satis videntur vel legere vel interpretari potuisse. Nam in apographo Vossiano est STERNIT pro STRENIA; et pro CN legitur GN, quod utrumque archetypon quoddam fuisse testatur male et satis antique scriptum, quod ab aliis aliter intellectum et variis descriptionibus sensim corruptum videtur. Qua eadem ex re Pighianam descriptionem magis genuinam Vossiana esse perspicitur.

FVNVS. MARCIAE. SEX. F. CVM. MAIORE. POMPA. IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA. HOMINVM.

Funera illustria in actis locum invenisse notissimum est (cfr. programm. meum de diurnis p. 11), nec illud

negari poterit, frequentiam hominum vel majorem vel minorem a veteribus notari solitam esse. Cfr. ea, quae paulo superius p. 48 adtulimus. Quare Tu, Clerci, qui illud infitias ivisti, minus hac certe in re, quod pace Tua dixerim, audiendus videris.

PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA.

Megalesia hoc ipso mense fuisse Romae et ex edicto Pontificis haberi solita esse ex Livio aliisque perspicitur. Cfr. XXIX, 14; XXXIV, 54; XXXVI, 36; Ovid. Fast. IV, 179. Pontifex Sempronius qui fuerit, quaesitum est a viris doctis. Clercius et Wesselingius M. Sempronium quendam Tuditanum intelligunt, de quo in Liv. XXXIX, 48; XLI, 21 refertur. Qui tamen cum sex annis ante hoc tempus, quod acta prae se ferunt, mortuus sit, qui potuit edicere Megalesia? Quam ipsam rem Wesselingius arripuit ad acta incusanda sane injuste; quis enim probavit, qui hoc loco Sempronius dicatur, fuisse illum M. Sempron. Tuditanum? Immo multos Sempronios pontifices fuisse Liv. XLI, 22 probat, ita, ut suspiceris Semproniorum gentem imprimis pontificalem fuisse. Ita sane potuit nescio quis alius Sempronius tum pontifex esse. Qui quis fuerit, nullo addito in actis praenomine aut cognomine, vix exputabitur; poterant tamen, qui tum vivebant intelligere.

Hunc de Megalesiis locum quod omittunt schedae Vossianae, nescio quo casu factum videtur, nihilque poterit inde de loci integritate concludi.

FRAGMENTUM VI.

VER. SACRVM. VOTVM. DE. PONTIFICVM. SENTENTIA. A. BAEBIO. PRAETORE.

Ver sacrum quid sit Pet. Pithoeus in adversar. subseciv. c. 6 (Grut. thes. II, p. 748), Pitiscus in lexic. antiq. s. v. *ver* aliique multi docuerunt. Ter Livius talium

rerum haud incuriosus de vere sacro mentionem fecit, XX, 9; XXXIII, 44 et XXXIV, 44. De hujus anni vere sacro, quod acta referunt, ex Livio nihil perspexeris. Nec tamen est, quod id factum esse recte negaveris. Rarius sane de tali sacro historici narrant, Dionysius Halic. semel, ter Livius. Nihil tamen dubito, quin pluries etiam talia vota sint sacra. Illoque sane anno, bello Macedonico jam durius ingravescente, causa fuisse videtur, cur ver sacrum vovendum pontifices censuerint. Causa illa quod addita non est, loci integritatem testatur; falsarius certe aliquam addidisset. Etiam id locum tuetur, quod Livii auctoritate destitutus est. Notandum etiam hoc loco id putaverim, quod a Baebio praetore urbano ver sacrum votum esse legimus, non a consule Licinio Crasso, quem in Italia restitisse scimus. Attamen illo die nescio qua de causa aut Romae non affuisse aut alia qua re impeditus esse videtur, quominus senatum haberet. Nec in fronte actorum de fascibus consulis quidquam legitur. Haec omnia, quae non sine offensione aliqua esse possunt, non ita excogitasset falsarius; immo ver sacrum consuli Licinio, cujus hoc erat, vovendum reliquisset.

LAVTIA. LEGATIS. AETOLVM. DATA. X̄ X̄ AER. GRAVIS. IN. SINGVLOS. DIMIDIVM. EIVS. COMITIBVS.

Inutilis commota est de summa pecuniae, quam legati Aetolorum muneri accepissent, a nonnullis viris doctis quaestio. Ex Livio enim demonstrari posse putant, plerumque bina tantum aut quina millia legatis pro munere mitti solita esse. Tu, Clerci, etiam id recentioris aetatis scriptorem redolere putas, quod comitibus dimidium sit datum. Attamen hujus ipsius rei, quod comitibus quoque legatorum munus aliquod praebitum sit, Livius mentionem fecit XXX, 17: *Legatis in singulos dona ne minus quinûm millium, comitibus eorum millium aeris.* — Nec id verum, in Livio non plus quam quina singulis legatis millia data legi. Quam varia haec res et pro temporibus et pro voluntate senatus fuerit, complura de-

monstrant in Livio exempla. Cfr. Liv. XXVIII, 39: *in singulos dari ne minus dena millia aeris;* XLII, 6: *centum millium aeris missum.* Cfr. XXX, 17; XXXI, 9; XXXVII, 3; XXXII, 26; XXXIII, 6; XLIII, 14; XLIV, 16; XLV, 13. Ceterum in numerorum siglis quam saepe fluctuat lectio librorum, ita ut jam hanc ob causam praeproperum sit nostrum accusare actorum locum.

M. AEBVTIVS. IN. PROVINCIAM. SVAM. SICILIAM. PROFECTVS. EST.

Quam verisimile sit hanc Aebutii in provinciam profectionem illo ipso tempore factam esse, supra jam p. 36 demonstravi ad fragm. III. Qui omnia ex imitatione Livii in actis dicunt scripta esse, hunc quoque locum ex Livii libr. XLIV, 17 derivatum putant. Equidem nullam video causam, cur ita statuendum sit.

EPVLVM. IN. FVNERE. MARCIAE. POPVLO. DATVM. A. FILIIS. EIVS. Q. ET. L. METELLIS. ET. LVDI. SCENICI. FACTI.

Non rara est apud Livium talium in funeribus datorum munerum commemoratio. Cfr. XXIII, 30; XXVIII, 21; XXXI, 40; XXXIX, 46; XLI, 28. Cfr. Suet. Caes. 26. Metellorum gens clara Romae inprimisque nobilis; quod cum ita fuerit, et quum praeterea ab illis filiis Metellis epulum populo ludique sint data, verisimile Tu, Clerci, non esse putas, tam infrequentem fuisse in Marciae funere hominum prosecutionem. Nihil sane ita agis; an scimus, quam grata illa fuerit Marcia? et licet infrequens fuerit funus ipsum, nihil hoc erat impedimenti, quo minus filii populo munus darent. In talibus saepe magis ambitio, quam pietas valuit.

CLASSIS. CARTHAGINIENSIS. OSTIAM. INGRESSA. CVM. TRIBVTO.

Recte Clercius animadvertit hoc tributum omnium primo ann. 553 Romam advectum esse, cfr. Liv. XXXII, 2. Ceterum in Livio nusquam de classe, quae hoc tributum

attulerit, sermo est; nusquam legitur de classe Ostiensem portum ingressa. An haec falsarius ex suo ingenio addidit? Certe non male excogitasset; equidem tamen in verbis nihil invenio, quod falsarium redoleat.

FRAGMENTUM VII.

III. NON. APRIL.
C. POPILIVS. LAENAS. C. DECIMIVS. C. HOSTILIVS. LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES. SVRIAE. ET. AEGVPTI. AD. BELLVM. INTER. IPSOS. COMPONENDVM.

Si quis locus est, qui, quam injuste adversarii actorum in ea statuerint et quam parum sibi ipsi in accusandis iis constiterint, demonstrare possit, certe hic est. Locum ex Livio concinnatum clamant, ubi XLIV, 19 simillime ita: *Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Laenatem, et C. Decimium et C. Hostilium legatos, ad finiendum inter reges bellum, miserunt.* At iidem adversarii incusant locum actorum, quod temporis ratione Livio omnino adversetur. Hoc nescio ex qua actuarii negligentia explicant. Attamen nego, talem potuisse committere negligentiam eum, qui vel passim Livii locum legisset. Livius c. 19 libri c. *Idibus Martiis* senatum habitum in eoque legatos Alexandrinorum auditos extemploque decretum esse dicit, ut legati ad reges mitterentur; intra triduum autem (c. 20) profectos legatos. Haec tam plana tamque accurata temporum descriptio num poterat ei, qui Livium vellet imitari, latere ullo modo? Sane caecum talem fingas necesse est fuisse falsarium. Nec id licet suspicari, falsarium dedita opera Livii vestigia eam ob causam deseruisse, ne posset fraus sua deprehendi. Nam illo aevo, quo haec acta composita esse dicuntur, et quo primum apparuerunt, tanta fuit Livii et omnium Latinorum scriptorum inter homines doctos

auctoritas, ut nemo ausus esset contra Livii fidem scribere, quin se manifesti erroris reum facere putasset? At non falsarius haec scripsit. Immo mira haec actorum cum Livio et concinnitas in rebus et discrepantia in temporis ratione gravissimum habendum est argumentum, quo actorum sinceritas probetur. Quare actis nostris plus fidei tribuendum, quam Livio de levibus his rebus certe minus anxio.

LEGATI. BENE. MANE. CVM. TVRBA. CLIENTIVM. ET. PROPINQVORVM. SACRIFICARVNT. AD. CASTORIS. DIS. PENATIBVS. P. R. TAVRO. FECER. ET. PERLITARVNT.

Conferenda sunt, quae ad primum actorum fragmentum attulimus de sacrificiis mane institutis et de dictione illa *bene mane.* Nec illud dubium, ex more Romanorum quin fuerit, ut legati ante decessum suum sacrificarent. Etiam illud Romanorum moribus aptissimum, quod Dis Penatibus populi Romani sacrificio majori legati fecisse dicuntur. Non quidem in animo mihi est, pluribus hic in difficiliorem illam quaestionem inquirere (id quod Dodwellus fecit in Praelect. Camden. in append. p. 694 sqq.), quales et qui dii Penates illi publici fuerint, de qua re jam inter veteres sententiae diversae satis valuerunt. Cfr. Macrob. Saturnal. lib. III, c. 4. Id mihi certum esse videtur, Penates illos publicos seu Populi Romani omnes illos intellectos deos esse, qui imprimis essent populi tutelares, et quasi populares. Inter hos et Castorem et Pollucem fuisse notissimum. Ita etiam videmus recte hic Castorem inter Penates publicos relatum. Id quod quidem satis elucet ex eo, quod ad Castoris Penatibus sacrum factum est a legatis. Ubi templum illud fuerit et a quo et qua de causa votum, docet Dodwell. l. l. et Pitisc. s. v. *templum Castoris.* Nec illud negari nequit, etiam ad Vestae Penatibus cultum quendam fuisse. Cfr. Tac. Annal. XV, c. 41. Quin etiam in Velia aedem deûm Penatium fuisse, scribunt Livius XLV, 16 et Varro de l. l. IV, p. 17 (edit. Bipont.). Nec non Lanuvii cultus quidam

celeber Penatium in usu fuit. Cfr. Ascon. Pedian. p. 72, b (edit. Aldin.).

At erunt, qui negent, Castoris cultum cum Penatium sacris quidquam commune habuisse. Quos tamen facile est refellere eo, quod et Penates et Castorem Pollucemque Magnorum Deorum (μεγάλων θεῶν) nomine singulari insignitos fuisse scimus, et quod Castorem et Pollucem eodem modo ac Penates inter Samothraces deos relatos esse constat. Cfr. Macrob. l. l., Grut. XCVIII, 9: *Castori et Polluci Diis Magnis*, et Pitisc. s. v. *Castor*. Itaque hic quoque locus de Penatium cultu ad Castoris, qui haud minimam habet explicationis difficultatem, ita comparatus est, ut non ex falsarii ingenio, sed ex ipso rerum Romanarum adyto profectus videri debeat.

Quod Tu, Clerci, in voce *perlitarunt* imitationem Livii agnoscis, vix habes, quo probes. Nam ad hanc ipsam significandam rem qua alia voce scriptor Latinus uteretur? Nec Livius sane unus hac voce usus est. Cfr. Gell. I, 6, 20. Suetonius saepe eodem sensu usus est verbo simplici, cfr. Caes. 81; Ner. 56; O. 8.

PONT. MAX. . . . . IN. AEDE. VESTAE.
. . . . L.L.V.V.

Haec quid sibi velint, lacunam enim esse satis apparet, non intellexi; videtur tamen locus de nescio quo voto, quod pontifex maximus in aede Vestae voverat, intelligendus esse. Compendia enim illa: L.L.V.V explico: *lubentissime votum vovit*. Illud L bis positum etiam in Grut. ita legitur pro superlativo *lubentissime*, cfr. VII, 3; XI, 4; XIV, 6; XCVII, 12; illud V.V. eodem in Grut. V, 1 est eodemque modo explicandum. Maternus de Cilano, *Römische Alterthümer*, I, p. 406 non satis recte explicasse videtur verba ita: *libentes lubentes votum voverunt*. Cur pluralem numerum intellexit?

Vossianum apographum, ut saepe obscuriora verba, haec quoque omisit.

FRAGMENTUM VIII.

D. IV. SYLLANO. L. MVRENA. COSS. A. D. III. IDVS. SEXTIL. FASCES. PENES. MVRENAM. IS. BENE. MANE. SACRVM. FECIT. AD. CASTORIS. DIS. PENATIB. PVB. INDE. COEGIT. IN. CVRIA. POMPAE.

Praescriptio duorum consulum, quam acta in fronte gerunt, verene ab actuario praeposita sit, vehementer dubito. Immo a descriptore docto, qui vellet innuere, cujus anni duo haec acta sint, facta esse videtur. Nam deest in illis actis, quae ab ann. 585 habemus, ibi semper amborum consulum praescriptio, ubi cujus fasces fuerint indicatum est. Nostro loco fasces penes Murenam fuisse legimus. Nec sequenti fragmento IX. utriusque consulis nomina praescripta leguntur.

IS. BENE. MANE. SACRVM. FECIT. Dubitandum non est, dictionem illam *bene mane* ex communi latinorum usu esse, quare Cic. bis in epp. ad Att. IV, 9; XIV, 18 ea usus est. Sed etiam Petron. Satyr. c. 85 ita loquitur: *bene mane surrexi.* Nec dubito, inveniri quoque alios aliorum scriptorum locos posse, quos nunc equidem ignoro, ubi illud *bene mane* occurrat. Multi scriptores, maxime ii, qui communem urbis dicendi rationem sequuntur, illud *bene* ad intendendam verborum vim adhibuerunt. Sic dicitur: *bene multi*, *bene sanus*, multaque alia ejusdem generis. Quae omnia hoc loco adjicienda putavi, quia superiori loco p. 22, ubi de dictione illa exposui, omiseram. Nec illud obscurum esse potest, cur eo ipso die consul mane sacrificaverit. Nam eam ob causam factum, ut senatum posset legitime cogere, ut cognoscimus ex A. Gellii lib. XV, c. 7: *immolareque hostiam prius*, *auspicarique debere*, *qui Senatum habiturus esset.* Eadem causa est, cur Aemilius consul, ut fragmento I. scriptum est, sacrificaverit; quod ad illum locum explicandum supra omissum

nunc jam suppleam. Videmus, quam accurate haec in actis narrata cum moribus Romanis congruant.

De sacro Dis Penatibus publicis (sic enim illud PVB. explicandum est) ad fragmentum VII. diximus pluribus. Livius quoque III, 17 publicos nominat penates: *Jupiter optimus maximus, Juno Regina, et Minerva, alii Dii Deaeque obsidentur. Castra servorum publicos vestros penates tenent.* Cfr. Liv. VI, 14; XXII, 1. Verba sequentia paulo mutilata videntur; desiderant objectum nec illud POMPAE sanum esse potest. Fortasse scriptum fuit ab actuario POMP. SE. i. e. Pompeji seu Pompeja senatum. Illud SE perverse mutatum in AE et voci POMP. adjectum est. Dodwellus ad sensum recte emendat, nec tamen ita, ut perspiciamus, quomodo ex alio aliud fieri potuerit. Restat defendendum unum. Nam Wesselingius in Probab. p. 370, et Tu, qui eum secutus es, Clerci, libro Tuo p. 325., id huic actorum loco opposuistis, quod curiam Pompejam necdum exstitisse diceretis. Nec sane negari nequit post Mithridaticum demum bellum celeberrimum illud theatrum Pompeji exstructum esse. Ex Plutarcho nihil extricaveris, nisi illud, curiam Pompeji pro theatro stetisse ejusdemque Pompeji opus fuisse. Cfr. Plut. in Caes. c. 66: *ὁ δὲ δεξάμενος τὸν φόνον ἐκεῖνον καὶ τὸν ἀγῶνα χῶρος, εἰς ὃν ἡ σύγκλητος ἠθροίσθη τότε, Πομπηΐου μὲν εἰκόνα κειμένην ἔχων, Πομπηΐου μὲν ἀνάθημα γεγονὼς τῶν προκεκοσμημένων τῷ θεάτρῳ.* Accedit, quod ne lectio quidem Plutarchiana in verbo *προκεκοσμημένων* satis constat. Ut paucis dicam, potuitne jam prius curia illa aedificata esse? potuitne theatrum jam longe ante Mithridaticum bellum aedificari inceptum esse, ut sane ex loco ejusd. Plutarchi in vita Pompeji c. 42 ex singulari usu artuli (*τὸ ἐν Ῥώμῃ*) equidem facile conjecerim. Cfr. vit. Pomp. c. 42: *ἡσθεὶς δὲ τῷ θεάτρῳ (τῷ ἐν Μιτυλήνῃ), περιεγράψατο τὸ εἶδος αὐτοῦ καὶ τὸν τύπον, ὡς ὅμοιον ἀπεργασόμενος τὸ ἐν Ῥώμῃ, μεῖζον δὲ καὶ σεμνότερον.* Potuitne Pompejus totum illud opus a curia et iis aedificandis incepisse, quae Plutarchus *τὰ προκεκοσμημένα τῷ θεάτρῳ* nominat?

Sed sit sane curia Pompeja posteriori tempore condita, quam haec acta scribunt, ne sic quidem de falsitate actorum recte ex loco concluseris. Nam omnis conclusio niteretur in voce POMPAE, quam corruptam esse, ut totum locum, nemo non videt. Accedit, quod Vossianum apographum haud injuria incuriae cujusdam accusandum est. Quid jam ex voce aperte corrupta explicueris? Poterisne probabiliter illud falsum POMPAE nescio de qua alia curia intelligere? Quid quod poterat descriptor ex HOST. SE. vel ex alio quo scribendi compendio suo ingenio facere illud POMPAE? Fortasse curiae nomen, in qua senatus collectus est, ne additum quidem fuit, et illud POMPAE corruptum ex SENATVM. Equidem sane nihil illam vocem aperte corruptam ad actorum integritatem vel defendendam vel inculpandam facere contenderim.

Scripturam *Syllani* nominis pro Silano quod vituperarunt viri docti, vix momenti esse puto. Quae inusitatior forma potius antiquitatem quandam redolet, quam ut actorum falsitatem coarguat. Ejusdem generis similia in inscriptionibus passim leguntur. Sic in Grut. inscriptt. MXLI nomen M. Junii *Sullani* invenitur, quod pro Silano scriptum esse certissimum. Eodem modo hoc actorum loco videtur *Sullanus* scribendum esse, eam quidem ob causam, quod Vossianum apographum ex V in nominibus saepius fecit Y, ut pro AEGVPTI Voss. habet AEGYPTI. Cfr. supra p. 11.

SYLLANVS. CVM. ACCENSIS. CAVSAM. DIXIT. APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO. EX. MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO. DE. VI. PRIVATA. ACCVSAVIT. L. TORQVATVS. FILIVS. ABSOLVTVSQVE. EST. REVS. SENTENTIIS. $\overline{\text{XL}}$. DAMNATVS. $\overline{\text{XX}}$.

Non sine difficultatibus hic locus est, nec Dodwellus quidem, egregius actorum admirator, menda a loco abesse putat. Offendit illud: SYLLANVS. CVM. ACCENSIS. Verum quidem est, consulem, cum publice prodiret, cum lictoribus suis et accenso apparere solitum esse. Sed

quid illud est: *cum accensis?* Unum singulis consulibus accensum fuisse omnes viri dd. statuunt, nec aliter ex Suet. Caes. c. 20, ex Varron. de ling. lat. p. 75 sqq. (edit. Bip.), ex Cic. de leg. II, 24 et ex Liv. XLV, 29 apparet. Quare Dodwellus a descriptore vitiose ex singulari numero pluralem factum contendit. Equidem aliter loco succurrerim. Nam vocem illam accensorum latius patuisse et universe de iis omnibus intellectam esse, qui adlecti et arcessiti alicui essent, jam veteres docuerunt. Cfr. Varr. rhet. l. 20. Varro de ling. latin. VI, p. 92 (edit. Bipont.): *Accensos ministratores Cato esse scribit.* Quare haec vox de singulari quoque militum genere in usu fuit, quod consulibus et praetoribus erat adscriptum, quo pro administratoribus uterentur. Nec nostro loco tam arcte de uno illo accenso, qui consuli praeter lictores additus erat, sed de omnibus iis vox usurpata videtur, qui in consulis comitatu essent; hi erant et lictores et accensus ille proprie sic dictus [1]). Sic quoque id, quod Wesselingius taxat, lictores hoc loco praeteritos esse, facile refellitur.

Illa ipsa causa Sex. Ruscii munusque Q. Cornificii praetorium illo anno gestum omnino incognita sunt; ex qua re viri dd. argumentum petierunt, quo actorum fidem infringerent. Mihi aliter videtur. Namque id ipsum, quod in actis non pauca ignota inveniuntur, antiquitatis testimonium esse contenderim. Qui enim aliter exspectaveris, quum ex ipsa antiquitate historiam singulorum dierum, ut acta praebent, legendam acceperis? Quam multas innuit Asconius causas, de quibus nusquam alias ne verbum quidem est? Nec illud magni facio, quod Wesselingius de Cornificio conatus est demonstrare, eum illo anno praetorem esse non potuisse. Nam quo argumento utitur? Fuisse eum ante hos duos annos Ciceronis competitorem in consulatus petitione. Cfr. Ascon. Pedian. p. 65, b, edit. Ald. Unde id colligendum esse putat,

1) Ceterum ex Cic. ad Quint. Frat. I, 1 elucet, accensum paulo superioris ordinis fuisse ac lictores.

Cornificium jam prius fuisse praetorem. Sed poteratne bis praetor fieri? poteratne omissa praetura candidatum se gerere consulatus? Utriusque rei exempla exstant.

Nomen Ruscii puto idem esse ac Rosciorum, scriptura paulo mutata. Fuit ille ex municipio Larinati oriundus, quod nomen et Caes. bell. civ. c. I, 23 et Cic. saepissime in orat. pro Cluentio et ad Att. VII, 13, et inscriptio in Muratorii thesauro p. MXCV exhibent. Sic Cic. dicit pro Cluentio: *Larinas mulier*.

L. Torquatus etiam ex Ciceronis oratione pro Sulla et ut juvenis et ut acer in accusando orator notissimus est. Nec non eandem hanc Torquati accusationem Sullae sequens fragmentum IX. narrat. Filium acta L. Torquatum dicunt; id quod nusquam alias est. Unde apparet, viguisse illo ipso tempore patrem adhuc; idque ipsum Cic. in orat. pro Sulla ita innuit: *do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti*. Nec id omittendum, quod et fragmento VIII. et IX. idem Torquatus accusator fuisse scribitur. Falsarius vix dubito quin variasset, ne utroque loco in utraque causa idem accusator esset. De numero latarum sententiarum vide quae supra p. 26 ad fragm. I. adnotavimus. Nec id praetereundum, quod leve videtur, plenos numeros $\overline{\text{XL}}$ et $\overline{\text{XX}}$ hoc loco legi. Licet suspicari falsarium etiam aut plus aut minus quam sexaginta sententias ficturum fuisse, ne tam par numerus esset.

TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER. OPERAS. CLODII. PVLCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.

Clodii asseclas impuros, homines plebejos et clientes, factionis causa mercede concitatos, etiam Cicero saepe *operas* dicit; cfr. Cic. ad Att. I, 13 et 14, et ad Quint. Fratr. II, 3. Et ita universe de mercenariis hominibus in usu est vox. Mirationem tamen fecit viris doctis, quod tam maturo tempore jam illae inter Milonem et Clodium exstiterint turbae. Ut paucis dicam, quod sentio, mihi sane nimis subtiles fuisse videntur viri dd. in tempore investigando, a quo inimicitiae inter Milonem et Clodium inciperent. Quod tempus sane remotum satis fuisse vi-

detur. Uterque vir quam factiosus, quam violentus fuerit, omnes sciunt. Nec Asconius celat, saepissime inter Clodium et Milonem depugnatum esse, nec Cicero. Cfr. Asc. Ped. in orat. pro Mil. praef. et Cic. ad Att. IV, 3 et in oration. pr. Milone. Via sacra praeter alias erat hominibus frequens, ubi facile concurrere possent sibi infesti. Equidem vix dubitandum esse puto, quin vetustior etiam et Clodii et Milonis fuerit rixandi consuetudo, quam viri dd. suspicati sint, ita ut hic locus mihi quidem minime a verisimilitudine quadam abesse videatur. Etiam id tenendum est, Romae tales rixas non sane inusitatissimas fuisse.

RIXA. PO . . . . . . ET. Q.

Ecce jam altera rixa narratur. Hoc quidem non ausus esset falsarius, ut uno die duas rixas retulisset. Lacuna quomodo explenda sit, viri dd. conati sunt invenire. Illud PO. intellexerunt de popinonibus, qua voce ii denotabantur, qui heluarentur in popinis. Equidem locum ita restituam:

RIXA POpinariorum et Quoquorum.

Popinarii ii sunt, qui popinis praesunt. Ita haberemus rixam hoc loco inter duo hominum genera, quae etiam propter simillimam victus quaerendi rationem in inimicitias incidere possent. Seu ita locum expleas, si placeat: „Poparum et Quoquorum.“ Nam popae ii quidem, qui victimas ad altare feriebant; verum iidem victimas et vinum habebant venalia, et in popinis eorum heluabantur homines infimae sortis. Pertinet huc locus Cic. pro Mil. c. 24: *Quin etiam audiendus fuerit popa Licinius, nescio quis, de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos* et sqq. Ad sensum fere perinde est, utrum *poparum* an *popinariorum* scripseris. Veteres pro coquis dixisse quoquos Ciceronis facete dictum probat, quo eum, qui coqui filius erat, secum causas agentem, ita allocutus est: *Tu quoque aderas huic causae.* Cfr. Donat. in Adelph. Terent. 3, 4, 60: *Nam apud veteres coquus non per C literam scribebatur, sed per Q.* Cfr.

Quinct. VI, 3, 47. Habere videmur hic antiquioris actorum scripturae, a descriptoribus neglectae alias, vestigium aliquod. Genus talium hominum Romae numerosum; et rixosum fuisse recte suspicatus fueris.

SC. FACTVM. NE. MVLTA. AERARIORVM. TRANSEAT. AD. HEREDES.

Perdifficilis quaestio est de ea censorum poena, quam Romani per vocem *aerarium facere aliquem* denotabant. Id tamen pro certo affirmari potest, illud poenae genus pecuniarium fuisse, cum censu multiplicato conjunctum. Cfr. Livius IV, 24. Quare rectissime acta illam poenam *multam aerariorum* dicunt. De eo, quid multa sit cfr. A. Gell. N. A. XI, 1. Fuit vero ab initio pecuaria, quae deinde pecuniaria facta est.

Poterat sane fieri, ut illa aerariorum multa, quae in multiplicato censu erat, eos, qui eorum heredes fierent, ad tempus certe aliquod immerito degravaret, antequam novum lustrum conderetur novusque census constitueretur. Videntur igitur nonnulla talis injuriae exempla illud senatusconsultum provocasse, de quo praeter actorum locum nusquam mentionem factam videmus. Nihil tamen hic habet locus, quod fide indignum sit.

TONVIT. SVB. MERIDIEM. FVLGVRAVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN. SVMMO. ARGILETO.

De talibus prodigiis et quam anxie Romae observari solerent diximus supra p. 27 ad fragm. II. Memorat infimum quoque Argiletum Liv. I, 19.

FRAGMENTUM IX.

A. D. V. KAL. SEPTEMB.

Ineptius paene Wesselingius ad haec verba adnotavit, se mirari, quod in tam negotiosa et turbulenta civitate ab ante diem III Idus Sextil. ad a. d. V Kal. Septemb. nihil contigerit actis dignum. Cui viro d. sciendum erat, miro quodam casu haec tam remotorum inter se dierum, fragmenta nescio a quo ex collectione quadam actorum exscripta ad nos pervenisse. Apparet ex illa adnotatione Wesselingii, quam parum hic vir d. naturam diurnorum actorum noverit.

M. TVLLIVS. CAVSAM. DIXIT. PRO. CORN. SVLLA. APVD. IVDICES. DE. CONIVRATIONE. ACCVSANTE. TORQVATO. FILIO. QVINQVE. SENTENTIIS. OBTINVIT. TRIB. AERAR. CONDEMNARVNT.

Ad haec verba Dodwellus l. l. p. 716 egregiam et ingeniose excogitatam computationem addidit, qua optime demonstravit, hunc actorum diem cum aliis de tempore Sullanae illius causae indiciis optime conspirare. Haec omnia, quae Dodwellus exputavit ad haec demonstranda, si in promptu habuit falsarius (ut in promptu habere eum oportebat, si falsarius fuit), sane admirandus est. At non haec excogitavit falsarius. Etiam in judiciis tum adhuc viguisse tribunos illos aerarios, negari nequit, quos tamen a Caesare sublatos esse scimus. Cfr. Suet. Caes. c. 41. Illud tamen et Wesselingio et Tibi, Clerci, nec non ipsi illi Dodwello mirationem fecit, quod nec senatorum, nec equitum sententiae accuratius indicatae sint, sed quod tantum illud legatur: QVINQVE SENTENTIIS OBTINVIT. Et nihil sane opus fuit omnes singulorum ordinum sententias enumerare; satis erat in universum indicare, quot sententiis aut vicerit aut victus sit reus. Ita

Asconius quoque, in his sane accuratissimus, nonnunquam in universum tantum prodit, quot aut adversas aut secundas quis habuerit sententias. Cfr. Ascon. Ped. p. 95, a (edit. Ald.): *obtinuerunt, ut una sententia absolveretur.* Quo loco quamquam enumeravit Asconius singulorum deinceps ordinum sententias, tamen poterat hac opera, si vellet, supersedere. Asconius enim pergit ita:

„condemnarunt senatores X, absolverunt VIII,
condemnarunt equites Rom. IX, - - VIII,
ex tribunis aerariis X absolverunt, VI condemnarunt."

Habemus igitur graves sententias XXV; absolutorias XXVI.

Ecce factam a me computationem. Acta in universum, facta sententiarum computatione, quot sententiis vicerit reus, indicant, et illud tantum addunt, tribunos aerarios condemnasse. Inde colligendum est, senatores et equites Rom. pleniori sententiarum numero absolvisse. Omnino vero falsa sunt, quae Dodwellus p. 723 disputat, valuisse ad absolvendum reum jam satis, si unus judicum ordo absolvisset, ceteri damnassent, damnari non potuisse, nisi omnes ordines damnassent. Immo omnes omnium ordinum sententiae computatae sunt, tum facta est ratio, licet singuli ordines in suas quique urnas sententias conjicerent. Hoc ex multis Asconii exemplis apparet. Cfr. Pedian. p. 95, b: *damnatus est sententiis VI et XI; absolutorias V omnino habuit, duas senatorum, tres equitum;* et ead. pag. paulo supra: *graves habuit XIX, absolutorias II et XXX.* Apertissime vero Dodwelli opinionem falsam esse perspicimus ex verbis Ciceronis pro Cluent. c. 27: *In consilium erant ituri judices triginta et duo. Sententiis decem et sex absolutio perfici poterat.* Cfr. quoque Cic. ad Att. I, 13.

TRIB. PL. INTERCESSERVNT. S. C. DE. TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT. PRAEDES.

Inutilis commota a Wesselingio nec non ab ipso Dodwello quaestio, quae illa fuerit urbs Laodicia, et num recte S. C. de ejus tributo factum esse dicatur. Scimus

non solum tres fuisse urbes, Laodiceas nominatas, ut Wesselingius statuit, sed quinque. Cfr. *Pape*, lexicon nominum propriorum graecae linguae, Berol. 1842. Sed quis est, qui, ne minima quidem de illa lite alias facta mentione, nunc rem illam leviorem possit exquirere? Quis est, qui nullam non antiquitatis rem putet nobis notam esse debere? Quis est, qui acta eam ob causam falsitatis incuset, quod de illo S. C. et de intercessione nusquam alias quidquam legatur?

Quod inusitatior forma, quae tamen certissima analogia nitatur, Laodicia pro Laodicea in actis obvenit, aliquid momenti est, haec non a falsario scripta esse, qui a recepto scribendi usu vix recessisset. Id etiam addam, quod Dodwellus l. l. probavit, tribunis sane licitum fuisse, civitatum peregrinarum patrocinium quoddam gerere. — Quod Tu, Clerci, contendis actuario ea, quae Coelius in Cic. epp. ad div. VIII, 8 narrat, in mente fuisse ita, ut imitaretur hoc loco, vix momenti est. Sic nullus non locus, quo de intercessione quadam tribunorum agitur, in imitationem vocatus esse eodem jure dici poterit.

PRAETOR. VRB. FILIAM. EO. DIE [1]). DARET. NVPTVM. EDICTO. MONVIT. SE. IVS. NON. DICTVRVM. ET. VADIMONIA. OMNIA. IN. DIEM. QVINTVM. DISTVLIT.

Praeturam urbanam hoc anno qui gesserit, ex nullo antiquorum loco constat nec acta nomen exhibent. Falsarius fortasse finxisset nomen aliquod. Locus laborat eo, quod particula *quum* scripta non legitur, quam sensus requirit. Equidem interposui illo loco, quem signandum curavi, non quidem ab initio, ut Dodwellus fecit. Nec grammatica ratio satis patitur, ut anteponatur, et illud D, a quo incipit DARET, fortasse causa fuit, cur prope positum simillima figura Q a descriptore praetermitteretur. — Formula VADIMONIA DISTVLIT Tibi, Clerci, ex Cicerone per imitationem desumta videtur esse. Immo

1) Q. interponendum hoc l.

tam solemnis erat, ut vix aliter dicere solerent antiqui. Sic quoque Juvenalis Satir. III, 213: *differt vadimonia Praetor.* Cfr. Heinecc. syntagma IV, 6, 20. Hoc addam, plerumque in rebus lugubribus praetores justitium edixisse, cujus rei non pauca exstant exempla; hoc loco fortunatae rei causa vadimonia dilata sunt, quod bene animadvertendum.

TESTAMENTVM. MELIONIS. ALLATVM. MYCENIS. PRAETOR. PEREGRINVS. RESCIDIT. Q. EXPRESSVM. ERAT. AB. EO. TORMENTIS.

Nihil nocetur actis inde, ut dicamus locutionem *testamentum rescidit* per imitationem nescio unde desumtam esse a falsario. Immo verbum rescindendi usitatissimum de abolendis judiciis, legibus, pactis, testamentis, similibus. Cfr. Suet. Claud. c. 29 et Lexic. Gesner. s. v. Duo adhuc restant, quae Tu, Clerci, hoc in loco taxasti, primum, quod Melionis nomen rarissimum sit, alterum, quod Mycenae urbs tum quidem fuerit diruta. Alterum nihil valet, alterum de Mycenis gravius sane est. Nam urbem hanc dirutam esse jam multo ante ab Argivis necdum habitatam, et Diodorus Sic. XI, 56 et Strab. VIII, 6 et Pausan. Corinth. II, c. 16 memorant. Tamen id bene mihi tenendum videtur, ruderibus urbis illius, quae sane magna erant, nomen Mycenarum semper mansisse, ita ut etiam Plin. H. N. IV, 5 Mycenas in descriptione illarum regionum enumeret, non addito, eas dirutas esse, quamvis de aliis urbibus id ipsum consulto commemoret. Poterat igitur Melio ille ad urbem illam ruri degisse, ita ut recte dicatur Mycenis testamentum ejus allatum. Nam regio illa nomen Mycenarum retinuit, quamvis urbs ipsa non esset habitata. Sed poterimus quoque hujus rei difficultatem alio modo removere. Quam enim incuriose descriptum sit Vossianum apographum, jam satis nobis demonstrasse videmur, maxime vero in nominibus propriis falsa exhibet. Quid igitur mirum, hoc quoque Mycenarum nomen corruptum esse, fortasse ex *Mitylenis*, fortasse alia simili ex voce? Videmus igitur,

ne hanc quidem de Mycenis quaestionem actorum fidem infringere posse.

C. CAESAR. IN. HISPANIAM. VLTERIOREM. EX. PRAETVRA. PROFICISCITVR. DIV. PRIVS. RETARDATVS. A. CREDITORIBVS.

Magnam sane hic locus habet difficultatem, quippe qui non satis cum veterum de eadem re testimoniis concinnari posse dicatur. Verissimum quidem, Caesarem ex praetura Hispaniam ulteriorem provinciam accepisse, verissimum illud de creditoribus; hoc tamen non sine magna viris doctis offensione fuit, quod insequenti denique anno Pisone et Messalla coss. (692) provinciam a Caesare administratam esse constat ex Plutarcho, Dione et Suetonio. Quo anno praeterito, initio ejus anni, quo Afranius et Metellus consules essent (693), ad comitia consularia Caesarem non sine festinatione reversum esse dicunt, quibus comitiis consul in proximum annum cum Bibulo creatus est. Quod si jam constat, Caesarem ann. 692 Hispaniam ulteriorem administrasse, quomodo explicandum est id, quod acta narrant, eum jam anno 691 exeunte mense Augusto in provinciam abiisse? Quid, quod Wesselingius sibi probasse quoque visus est, Caesarem initio anni 692 Romae etiam tum adfuisse, et in Clodium testimonium dicere jussum (cfr. Sueton. Caes. c. 74 in fin. et Dion. Cass. lib. 37, c. 46) nec provincias prius quam mense Februario aut Martio ejusdem anni distributas a senatu esse. Provocat vir d. maxime ad Ciceronis testimonium in epp. ad Att. I, 10, 11, 12.

Quae argumenta omnia ingeniosissime sunt excogitata; vereor tamen, ne specie quadam veritatis fallant, ipsa vero ne sint a veritate remotissima. Tempora accuratius computemus. Illud Clodii sacrilegium est ann. 691 factum. Nam Cic. ad Attic. I, 9, quae epistola data est Kal. Jan. M. Messalla et M. Pisone coss., rem ut notissimam jam tangit talemque, quam putet ad Atticum remotius a Roma tum degentem certe rumore jam perlatam. Similia fere epistola sequenti eodem mense Januario scri-

bit, et eo fere tempore de hac re S. C. factum et rogationem promulgatam esse ex eadem ep. facile concludimus. Attamen Clodii factum et rumor ille divortiumque Caesaris haud dubito quin jam anno 691 medio antecesserint. Ipsam vero Clodianam illam causam per totum annum 692 agitatam esse Romae ex eod. Cic. ad Att. I, epp. 10—15 elucet. Immo exeunte eo anno nondum illam causam totam compositam fuisse ex Cic. ad Att. I, 14 et 15 luculenter apparet. Quod vero ad rem nostram gravissimum est, ejusdem anni exitu Caesarem ex provincia sua jam rediisse certissimum esse dico. Cfr. Cic. ad Attic. I, 14: *Luccejum scito consulatum habere in animo statim petere. Duo enim soli dicuntur petituri. Caesar cum eo coire per Arrium cogitat; et Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse conjungi.* Haec scripsit Cicero Nonis Decembr. M. Messalla et M. Pisone coss. Videmus Caesarem adesse et consulatum ambire. Quod si tum adfuit, quid verisimilius, quid certius etiam, quam adfuisse eum jam tum, quum eodem fere tempore vel paulo post judicium de Clodio fieret? Caesar igitur non ante suum in Hispaniam discessum, ut actorum adversarii dicunt, sed post reditum inde testimonium in Clodium dicere jussus est. Quae quidem omnia bene cum hac actorum narratione concinnantur; at si cum Wesselingio Caesarem fere mense Majo in Hispaniam abiisse statueris, num poterat jam paucis mensibus post reversus esse? Mihi quidem credibile non est.

Nec alterum me movet, quod Wesselingius dicit, provincias anno denique 692 mense fere Februario sortitos esse praetores. Cicero quidem ad Attic. I, 10, quae epistola data est VI Kalend. Februar. Messalla et Pisone coss., ita: *Provincias praetores nondum sortiti sunt. Res eodem est loci, quo reliquisti.* Et ep. 11 ejusd. libr., quae paucis diebus post est scripta: *Senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat, ut, antequam rogatio lata esset, ne quid ageretur.* Ex his Ciceronis locis quamquam satis elucet, de distribuendis provinciis nescio quam litem fuisse, ta-

men id vix exputari potest, agi a Cicerone de ejusdem anni praetoribus, cujus Caesar erat. Hoc vero omnino negaverim. Immo de insequentis anni praetoribus intelligendi sunt Ciceronis loci. Nam solebant praetores provincias suas sortiri plerumque longius antequam munus suum obirent. Quare nihil ad tempus verisimilius, quam quod acta de Caesaris in Hispaniam decessu scribunt, facileque hoc loco contenderim, falsarium certe in aliud serius tempus Caesaris profectionem translaturum fuisse. Dodwellus, egregius temporum ratiocinator ac rerum gestarum peritissimus, satis luculenter demonstravit, Caesarem vix alio tempore, quam quod acta scribunt, in Hispaniam ex praetura esse profectum. Certe tota Suetonii narratio c. 14, 15, 16, 17 et 18 optime poterit cum actis conciliari. Nam scimus ex Suetonio Caesarem eo anno praetorem esse creatum, quo Cicero consul erat (cfr. Suet. Jul. Caes. c. 14). Anno insequenti, qui annus est Decio Jul. Silano et L. Murena coss., quum praeturam gereret Romae, varia incidit in discrimina, ut etiam decreto patrum a reipublicae administratione summoveretur, deinde tamen in integrum est restitutus. Sed paulo post denuo in periculum incidit inter socios Catilinae nominatus. Ex quo periculo tamen se expedivit. Quaestiones vero illae in eos, qui cum Catilina conjurati fuisse dicebantur, quando Romae agitatae sint, scimus satis accurate; habitae enim sunt anno ineunte et medio, Silano et Murena coss. His narratis Suetonius Caesarem in provinciam abiisse dicit, tempore haud accuratius definito, his verbis c. 18: *Ex praetura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu sponsorum removit: ac neque more neque jure, antequam provinciae ornarentur* (alii scribunt: *ordinarentur*), *profectus est: incertum, metune judicii, quod privato parabatur, an quo maturius sociis implorantibus subveniret. Pacataque provincia pari festinatione, non exspectato successore, ad triumphum simul consulatumque decessit.* Haec omnia ita narrata sunt, ut melius cum actis componi possint, quam cum eorum ratiocinatione, qui Caesarem paene toto anno post

profectum dicunt. Videmus enim ex Suetonii loco eum summa cum festinatione in provinciam abiisse et jure et more prius. Hoc bene cum actis quadrat. Videmus Caesarem judicium privatum metuentem, quod judicium sine dubio ad conjurationis societatem spectabat. Illae vero quaestiones eo ipso anno medio agitatae sunt, quo Caesarem acta profectum scribunt. Videmus eundem pari festinatione reversum esse ad consulatus petitionem. Hoc quando factum esse videatur, supra dixi. Ita Caesar vix plenum annum in provincia remansit ex nostra ratione. Ex Wesselingii ratiocinatione vel paucos menses in Hispania moratus esse videtur, quod quam perverse statuatur, facile apparet. Attulit etiam Dodwellus l. l. p. 727 locum Asconii, ex quo apparet, quo fere tempore (nam non tam restrictum hoc erat et magis ex more quam ex jure statutum) comitia et consulum et praetorum ac sortitiones provinciarum esse solerent. Asconius enim p. 18, b, (edit. Ald. Venetiis 1563) ita: *Comitia consularia fuerunt VI Kal. Augustis. Nec multo post sortitio praetorum fuit, celebratis eorundem comitiis.* Simili modo Caesar provinciam suam mense fere Augusto sortitus esse videtur. Ad V Kal. Septemb. acta profectum scribunt. Omnia bene cohaerent. Sic totum fere mensem et quod excurrit a creditoribus retentus esse videtur.

Unum addam, quod scrupulum injecit Dodwello aliisque, quid sit EX. PRAETVRA. Nam praepositio EX non sane de tempore intelligenda, sed valet id, quod in similibus: ex senatus consulto, ex lege, ex decreto. Est igitur, ut alia lingua dicam, *zufolge der Prätur, selon la préture, en vertue de la pr.*, poteritque et de eo dici, qui praeturae ipso anno provinciam regit, et de eo, qui anno post in provinciam abit, modo provincia ei ex jure et privilegio praeturae detur; id enim est, quod brevius dicunt latini *ex praetura.* Cfr. Jul. Caes. bell. civil. I, 31: *quod paucis ante annis ex praetura eam provinciam obtinuerat.*

Q. TERTINIO. PRAETORI. IVS. DICENTI. NVNCIVS. ALLATVS. EST. DE. MORTE. FILII. FICTVS. AB. AMICIS. COPPONII. REI. DE. VENEFICIO. VT. CONCILIVM. DIMITTERET. ILLE. PERTVRBATVS. DOMVM. SE. RECIPIEBAT. SED. RE. COMPERTA. PERSEVERAVIT. IN. INQVIRENDO.

Hunc locum citat Vossius ad Catulli carm. CIII, quo loco ipsum nomen Coponii in textum recepit, huncque Coponium eundem et in illa elegia et in his actis putat virum esse. Illic Vossius plura quoque de actis. Cfr. edit. Catull. Vossiana, Londini 1684, p. 333. Ceterum ex Tertinio fecit Stertinium (cfr. Horat. Ep. I, 12, 20) et ex Copponio Coponium. Nam sic hoc nomen Coponii plerumque scriptum legitur. Cfr. Plin. Maj. H. N. XXXV, 12 et Cicero ad Attic. XII, 30 et passim inscriptiones. Hoc quidem recte fecisse videtur; nam ipsa ea descriptio actorum, quam a Vossio possidemus, deterior et in scriptura nominum incuriosior; quamquam vix multum huic deteriori Copponii scripturae tribuendum; nam similia in inscriptt., et constat sane veteres in scriptura nominum et verborum multorum ipsos non satis sibi constitisse. Sane vero vituperandum alterum, quod variavit Vossius in voce Tertinii; nam Tertinii nomen, quamvis non tam saepe occurrat, tamen exstat in inscriptionibus satisque antiquum est. Cfr. Murator. inscript. MMXXXVII, 5; nec non Clercius nomen passim reperit. Cfr. le Clerc. l. l. p. 330. Nihil constat de Tertinii praetura; tamen, quae acta de eo narrant, non sunt incredibilia. Simillimum fraudis, qualis hic legitur, exemplum de Horatio narratur in Liv. II, 8 aliasque; nil tamen hoc probat, hic in actis, ut Tu, Clerci, sumis, illius loci imitationem factam esse; immo inde perspicitur, ejusmodi fraudes Romae haud sane raras fuisse.

C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII. POSTVLAVIT. DIVINATIO. ACTIVM. INTER. ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO. ACTIVS. OBTINVIT. Q. SEPASII. VXOR. SOROR. ESSET. NVRVS. COPPONII.

Vituperatum est a Wesselingio, quod SEPASIVS scriptum sit pro Cepasio. Talia mihi quidem non solum non offensioni sunt, verum etiam actis favere videntur. Ita Sejus et Cejus in inscriptionibus aliaque similia. Si actorum scriptor Sepasium suum minorem ex Ciceronis scriptis hausisset (cfr. pro Cluentio c. 21, Brut. c. 69), puto etiam scripturam nominis ab eo servatam et Cepasium scriptum fuisse. Accedit, quod ne constat quidem, num Vossius recte descripserit. Nomen Actii videtur idem esse atque Attii. Quae divinatio sit, Gell. N. A. II, 4 et Ascon. Ped. p. 1, b docent. Negari nequit, omnia, quae hoc loco de illa inter Actium et Sepasium divinatione et de causa, cur Actius obtinuerit, leguntur, talia esse, quae fere in illis divinationibus quaeri sint solita.

RIXA. AD. FORNICEM. FABII. ET. CAEDES. GLADIATORVM. DVORVM. EX. LVDO. CVRIONIS.

Hujus fornicis Fabiani mentionem facit etiam Cicero de orat. II, 66 et act. in Verr. I, c. 7. Asconius ad h. Cic. locum p. 18 (edit. Ald.) haec: *Fornix Fabianus arcus est juxta Regiam, in sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est; ibique statua ejus posita propterea est.* Quem Fabianum fornicem quum in scriptis, quae posteriora sunt, arcum Fabianum dici coeptum esse animadvertisset Dodwellus (cfr. Publ. Victor. et Sext. Ruf. reg. VIII; Senec. de const. c. 1), non tam debile inde argumentum repetiit, haec nostra ab homine esse scripta, qui Ciceronis esset aequalis. Tu, Clerci, hoc ita explicas, ut dicas falsarium sua ex Cicerone descripsisse; quae tamen Tua argumentatio tum denique valebit, si acta ficta esse obtinere

potueris. Illud addam, ad fornicem illum celebriorem fuisse Urbis locum (cfr. Casaub. ad Suet. Aug. c. 31), ut totam quidem sacram viam confluentium hominum frequentia insignem fuisse scimus. Curiones multi et nobiles Romae; qui fuerit noster, unde poterimus scire? Fortasse ille fuit, quem bello civili Caesaris in Africa cum exercitu interiisse constat; cfr. Caes. bell. civ. II, 42.

FRAGMENTUM X.

FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE. VIRGINIS. ILLATAE. SEPVLCRO. SVORVM. MAIORVM. VIA. AVRELIA.

Quaestio de hoc loco non satis fructuosa commota est a viris dd., cujus filia Metella Pia illa fuerit. Nam vix satis hoc exputari poterit, licet ingeniosissime de hac re et Dodwellus l. l. p. 729 et Wesselingius in Probab. p. 378 scripserint. Fueritne haec nostra Pia Metelli illius, qui defensione patris Pii cognomen accepit, filia an neptis, incertissimum. Quin incertum etiam, omninone ab hoc Metello originem duxerit; nam Piae nomen usitatissimum feminarum est, ut inscriptiones probant. Cfr. Muratori p. 1150, 8; 1375, 8; 187, 2.

Alterum, quod huic loco Wesselingius objecit, illud est, ut sepulcra Metellorum non ad viam Aureliam, sed ad Appiam fuisse diceret. Et sane quis erit, qui Metellorum et Caeciliorum sepulcra ibi fuisse infitias ire possit? Cfr. Cornel. Nep. in vit. Attic. c. 22; Cic. Tusc. I, 7, et inscriptio, quae exstat in Grut. thes. p. 377. Sed quum non unam tantum, sed plures Metellorum familias fuisse constet, quis tam caecus erit, qui uno tantum loco omnia omnium Metellorum sepulcra fuisse dicat? Poteratne quaedam Metellorum stirps sua sepulcra ad viam Aureliam habere, ubi sane maximus sepulcrorum numerus exstitit? Cfr. de frequentibus ibi sepulcris Onuphrii

Panvinii reipublic. Romanae commentarii p. 113. Quid, quod id ipsum, quod acta Metellae hujus sepulcrum non juxta viam Appiam, ut Cicero et Nepos, fuisse referunt, videtur argumento esse, nulla hic falsarii vestigia deprehendi sua ex aliis qui exscriberet. Nam mirum sane esset, ni falsarius iste, quem fingunt, Nepotis locum notissimum cognosset.

CENSORES. LOCARVNT. REFICIENDVM. TECTVM. AI. LOQVENTIS. H. S. XXV.

Audaculum est, probare velle, hoc anno censores non fuisse, nec sane multum argumentationi Wesselingii l. l. p. 181 tribuerim. Nam loci duo illi, Cic. ad Attic. I, 14 et Dion. Cass. libr. 37, c. 46 nil probant, nisi insequenti quoque ab hoc nostro anno (M. Pisone et M. Messalla coss.) censores acta quaedam perfecisse; sed poterantne anno etiam antecedente munere suo fungi, quum constet hunc magistratum annuum et semestrem fuisse? Apud censores quin fuerit locare templorum et aedificationes et refectiones, dubitandum non est. Cfr. Dodwell. ad h. l. Nec lectores morabor historia notissima illius dei, Aji Loquentis vel Aji Locutii, ut alii dicunt, enarranda, cujus templum in nova via exstabat. Cfr. Liv. V, 32 et 50.

Q. HORTENSIVS. SVB. VESPERVM. ORATIONEM. HABVIT. PRO. ROSTRIS. DE. CENSVRA. ET. BELLO. ALLOBROGVM.

Non multum sane valet illud, Clerci, ad actorum fidem infringendam, quod Tu de hoc protulisti loco; illud intelligo, quod Tu paene neminem eorum, qui de Hortensio oratore exposuerint, ad hunc actorum locum respexisse dicis. Nam licet sane suspicari, nonnullos eorum, quos Tu dicis, vel ignorasse vel in memoria non habuisse hunc locum. Omnino vero illud, quod ex silentio petis argumentum, debile est. Quod ad res attinet, quas locus tangit, satis constat, illo fere tempore de Allobrogum bello cogitasse Romanos, quod bellum proximo denique anno inceptum confectumque est. Cfr. Dion. Cass. lib. 37,

c. 47. Difficilius vero inventu est, quid de censura Hortensius exposuisse putandus sit. Quae Dodwellus ad h. l. conscripsit, docta quidem sunt et ingeniosa, maximam tamen partem meris conjecturis nituntur. Vix igitur nunc exputari posse censeo, quid actuarius illa scribens in mente habuerit; sed quaestionem quandam de censura potuisse existere, quis recte negaverit? Nam antea jam saepius lites de censoribus fuerant, ita ut per longius tempus censura intermitteretur.

RELIQVIAE. CONIVRATORVM. CVM. L. SERGIO. TVMVLTVANTVR. IN. HETRVRIA.

Post occisum Catilinam non omnes simul Catilinariorum turbas cessisse notum est; nec sane incredibile est, quod hoc loco de tumultuantium in Hetruria reliquiis acta scribunt. Illud mirari subit, Wesselingium huic loco tantopere irasci eam ob causam, quod Catilina vivus perhibeatur, qui jam diu sit mortuus. Scilicet ita intelligit Wesselingius locum, quasi conjurati illi tumultuati sint cum L. Sergio Catilina. Mirum sane errorem. Immo illud CVM L. SERGIO conjungendum est cum voce CONIVRATORVM; illi scilicet intelliguntur, qui cum Catilina conjuraverant. Ita locum cepisse videtur Dodwellus, ita vertisti etiam Tu, Clerci. Locutio illa, *conjurare cum aliquo*, solemnis est; ita Cic. in libro de Haruspicum responsis: *quibuscum conjurasti.* Conjuratos autem pro iis, qui conjurarint, dictos, quis est, quin legerit?

CAVPO. AD. TRES. TABERNAS. OCCISVS. A. THRACIBVS. EBRIIS. IN. VIA. PVBLICA.

Mavis, Clerci, scribere Threcibus, quam formam apud antiquos usitatiorem de talibus fuisse hominibus scribis. Equidem tamen ne alteram quidem formam *Thrax* inusitatam omnino dixerim. Ita exstat in Corn. Nepote, ceterum antiquiorum formarum amatore, in vit. Alcib. c. 11, saepissime apud eos, qui aetate posteriores sunt. Idem Corn. l. l. nos docet de vinolentia illius populi, quae jam inter Graecos erat famosa. Ejusmodi gladiatores fuisse rixosos

pluribus possem exemplis probare, si exemplis hac in re opus esset. Caupo ad tres tabernas dicitur occisus in via publica. Exstabant in ipsa Roma urbe, in regione V (cfr. Sext. Ruf. et Publ. Vict.) tres tabernae; exstabat vero etiam locus extra urbem ad viam Appiam, qui hoc nomine dicitur (cfr. Cic. ad Attic. I, 10; II, 8, 9, 11, 13); et puto sane utrumque locum, quanquam eodem nomine nuncupatum, diversum fuisse. Videtur in actis alter hic extra urbem locus intelligendus esse, jam eam ob causam, quod additum est illud: *in via publica.* Haec via erat Appia. Quae de situ illarum tabernarum, de quo lis est inter viros dd., disputavit doctissimus Clercius, in ipsius libro I. p. 335 sqq. legenda sunt. Illud vero viro docto minime concedam, falsarium hunc de tabernis locum eam ob causam finxisse, quia, quae in Cicerone de tabernis legisset, voluisset in suum usum convertere; nec illud, cogitationem de rixa ex Asconio Pediano suppeditatam esse falsario. Nimis fingis stultum, Clerci, Tuum falsarium, stultiorem etiam, quam argumenta actorum fingere eum nos sinunt.

FRAGMENTUM XI.

GN. POMPEIO. MAGN. II.
M. LICINIO. CRASSO. II. COSS.
KAL. MAII.
COSS. IN. GALLIAM. PROFECTI.
AD. C. CAESAREM.

Accerrime Wesselingius hunc ipsum impugnavit locum, ut demonstraret et consules initio mensis Maji Romae affuisse et Caesarem hoc ipso tempore jam ad exercitum esse profectum. At neutrum, ut mihi quidem videtur, satis comprobavit vir doctissimus. Ex Cic. enim ad Attic. ep. 10 libri IV vix quidquam exputaveris. Epist. 9 libri II ad Quint. fratr. nil probat, nisi Pompejum et

Crassum consules ad III Id. Maj. Romae fuisse. Sed poterant sane jam ex Gallia reversi esse; vix decem diebus ad iter in Galliam Cisalpinam faciendum opus erat, siquidem constat ex Suet. vit. J. Caes. c. 56, Caesarem IV et XX die ab urbe in Hispaniam ulteriorem pervenisse.

Quod jam Wesselingius probare studuit, Caesarem Kal. Majis ad exercitum suum profectum nec amplius in Cisalpina Gallia fuisse, his verbis efficere conatus est: „Hieme anni, quae fuit Cn. Pompejo, M. Crasso Coss. Usipetes et Tenchteri, magna cum multitudine hominum Rhenum transgressi, Galliam turbarunt. His de rebus Caesar certior factus, *maturius*, *quam consueverat*, ad exercitum proficiscitur, ut scribit L. IV Bell. G. 6. Superioribus annis haec Caesari consuetudo fuit proficiscendi. Primo anno belli Gallici ineunte Aprili in provinciam abiit. L. I, c. 6, 7. Secundo, quam primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. L. II, 2. Tertio, quam primum per anni tempus potuit. L. III, 9. Si vero maturius, quam consueverat, quarto hoc anno ad exercitum contenderit, quid reliquum est, quam Maji initio non fuisse in citeriore provincia?“ Haec Wesselingius, acute sane. Attamen vereor, ut valeat ejus argumentatio. Nam primum illum annum, quo Helvetii ingruebant, et quo Caesar jam Aprilis initio in Gallia adfuit, non debebat in comparationem vocare. Nam Caesar illa scribens, libr. IV, 6, maturius se, quam consuesset, ad exercitum profectum esse, minime ad primum annum respexit, quo Roma profectus est ad Genevam, ne coacto tum quidem exercitu, sed ad ea, quae secundo et tertio anno de profectione sua ex Cisalpina in Transalpinam provinciam prodidit. Haec vero sane latius patere possunt, quam Wesselingius putavit. — „Cum primum pabuli copia esse inciperet,“ et „cum primum per anni tempus potuit“ — ipsius Caesaris verba sunt. Sed ineunte Majo vix copia pabuli; ineunte Majo Alpium transitus per temporis rationem vix facilis satis.

At sit sane hoc anno Caesar, id quod vix crediderim jam ante Kalendas Majas ad exercitum profectus; quid

hoc ad acta? Poterantne sic quoque consules in Galliam ad Caesarem proficisci, quum Caesaris abitum nescirent, Caesarque aut eorum adventus ignarus aut necessitate coactus jam abiisset? poterantne in ipso itinere de Caesaris abitu certiores fieri reque infecta redire? Poteratne is nuntius de consulum profectione in Galliam nescio qua de causa fingi a consulibus hominumque fallendorum causa temere per acta dissipari? Quae omnia eo consilio disputo, ut, quam lubrica res sit, certiora hac de re statuere velle, ostendam. Unum tantum argumentum acta posset erroris convincere, si ipsis Kal. Majis consules Romae adfuisse demonstrarentur, quod tamen nemo demonstrare potuit.

Fuerunt etiam, qui nostrum locum eo suspectum facerent, ut conventum illum triumvirorum, qui Lucae factus esse dicitur (cfr. Suet. Caes. c. 24), falsario in mente haesisse dicerent, qui tamen conventus vel toto anno ante fuisse videtur, quum nec Pompejus nec Crassus consules essent. At equidem haec tempore tam inter se remota non puto falsarium confundere potuisse. At mirum sane, quod nusquam alias de profectione tali consulum ad Caesarem facta quidquam legimus. Sit sane; sed quis tam caecus, qui putet nullum non antiquitatis factum ad notitiam nostram pervenisse? quis est, quin multa nobis latere concedat? Quidni hoc quoque, quod de profectione consulum in Galliam acta referunt, hujus generis esse dicamus?

Nec hoc concedo, quod Tu, Clerci, in hunc locum disputasti, non satis licuisse ambobus simul consulibus ab urbe abesse. Licuit sane, nec hujus rei exempla desunt; cfr. Cic. ad divers. X, 12. Pompejus vero et Crassus quam multa sibi in consulatu suo permiserint, notissimum est; cur non hoc quoque, quod ne vetitum quidem erat, illi sibi sumsisse putemus, ut una simul Romam relinquerent?

Jam vero singulis actis omnibus pertractatis et quae iis nocere posse viderentur, repulsis, reliquum est, ut in universum de rebus in iis perscriptis, de forma loquendi et scribendi, quae in his actis obtineat et de eorum auctore, qualis fuisse videatur, deque ea ratione, qua ad nostram aetatem pervenisse putaverim, quaedam proponam ita, ut ex omnibus his rebus documenta certiora petam, quibus actorum veritatem sinceritatemque tuear.

Jam vero ut a rebus ipsis incipiam, quae actis illis enarrantur, ita sunt ex ipsa Romanorum vita depromptae ita cum populi illius moribus satis congruentes, ut vix a falsario putem tam apte excogitari potuisse. At vero antiquitatis Romanae intelligentissimum virum scripsisse dices; inesse tamen, quae erraverit quoque. Dem Tibi jam illud, quamvis vix omnino concedendum sit. Alterum tamen jam proferam Tibique opponam, in quo sane firmissimum actorum fidei argumentum inesse contenderim, quod jam vide quomodo explices. Mire enim, quas acta enarrant res, conspirant cum iis, quae in diurnis actis inscribi solita esse recentior tantum aetas accuratius invenit probavitque; quae Tu ipse tandem paucis abhinc annis diligentiori cura omnibus collatis de diurnis actis locis enucleasti, et quae nuper ego in unum contuli. Proferam, quae ego in programmate meo diurnis actis indi solita esse ex ipsis antiquorum locis exputaveram. In quo scripto p. 11 ita: „Inscribebantur actis numeri natorum et mortuorum, pecuniarum, quae ex provinciis redundabant et in aerarium conferebantur, et omnia ea, quae ad rem annonariam pertinerent, praeterea memorabiles et insolitae res urbanae, cujus modi sunt aedificia illustria, incendia, mortes et funera, supplicia, proscriptorum neces, ludi varii generis, sacrificia illustria, res amatoriae, prodigia et miracula, edicta magistratuum, testamenta illustria, judicia, reorum, damnatorum, absolutorum et in exilium missorum nomina, senatusconsulta et sententiae senatorum, eaque, quae ex provinciis de exercitibus et imperatorum rebus gestis memorabiliter tradita sunt.“ Comparemus cum his ea, quae nostris, de quibus

agimus, fragmentis insunt, eodem servato rerum ordine retentisque iisdem, quae in illis enumerandis usurpavimus, verbis, ut, quam mire horum fragmentorum argumenta respondeant iis, quae ex diversissimis locis diurnis actis inscribi solita esse cognovimus, clarissime appareat. Nam in fragmentis enumerantur: „Res pecuniariae (f. 6), aedificia illustria (f. 2), incendia (f. 4), mortes et funera (f. 5, 6, 10), supplicia (f. 4), ludi varii generis (f. 6), sacrificia illustria (f. 1, 4, 7, 8), prodigia et miracula (f. 2, 3, 8), edicta magistratuum (f. 6, 9), testamenta (f. 9), judicia, reorum, damnatorum et absolutorum nomina (f. 1, 2, 3, 8, 9), senatusconsulta (f. 1, 8), et ea, quae ex provinciis memorabiliter tradita sunt (f. 10).“ Omnes paene res, quas supra ex variis veterum locis diurnorum actorum proprias fuisse probaveramus, in his fragmentis deprehendimus, exceptis illis, quae de numeris natorum et mortuorum, de pecuniis ex provinciis redundantibus, de re annonaria, de proscriptorum nece, de rebus amatoriis, de nominibus in exilium missorum, et de sententiis senatorum exposueramus. Habent vero etiam fragmenta non pauca, quae diurnis infuisse veterum loci nominatim non probant, quae tamen naturae illorum actorum aptissima sunt, veluti illa de fascium inter consules vice, de senatus convocatione (f. 1, 8), de rixis in cauponis et via (f. 2, 8, 9, 10), de viatore a tribuno plebis misso deque intercessione unius tribuni (f. 3), de mensarii cujusdam ex foro cessione (f. 3), de Latinis celebratis (f. 4), de data visceratione (f. 4), de vexillo rubeo in arce posito (f. 4), de juventute sacramento novo adacta (f. 4), de consulum in provinciam profectione (f. 5), de vere sacro voto (f. 6), de classe Carthaginiensium Ostiam ingressa cum tributo (f. 6), de legatis in Syriam missis (f. 7), de Caesaris praetoris in Hispaniam profectione (f. 8), de nuntio ficto, quo praetor urbanus a jure dicendo avocaretur (f. 9), de tecto a censoribus collocato, ut reficeretur (f. 10), de oratione pro rostris habita (f. 10), de consulum in Galliam profectione (f. 11). Quae fragmentorum argumenta recte aestimanti et cum

veris diurnorum reliquiis comparanti sane mirari subit, hominem saeculi decimi sexti, quo primum innotuerunt illa, potuisse ex suo ingenio diurna Romanorum acta componere, de quorum natura teste Lipsio [1]) illi aetati vix satis constabat, ita ut, qui viri docti primi illa fragmenta divulgarunt et legerunt, ne haberent quidem dicere, quod genus scriptionis essent, vulgoque ex libris linteis aliundeve reservata crederent, quod ipsi Lipsio evenit, qui de diurnis exposuerat. Putasne igitur, Vir Amplissime, illum falsarium ita in promptu habuisse omnes locos de diurnis apud veteres obvios, sane paucos satisque dispersos ac subinde obscuros, ut tam facile omnes fere res, quas recentior demum aetas illis actis infuisse demonstravit, inveniret, paucas vero illarum fortasse fallendi causa omitteret, alia vero ex suo ingenio adderet, quae omnino ad diurnorum actorum indolem aptissima sunt? Equidem vix crediderim, praesertim quum, quo tempore fragmenta edita sunt, homines ab usu et notitia diurnorum actorum remotiores fuisse constet [2]).

At inesse dices in actis alia, quae cum Livio aliisque scriptoribus antiquitatis aperte pugnent, alia, quae nusquam alias legantur permiraque viris doctis haud injuria visa sint, alia, quae cum Romanorum moribus non satis conspirare dicantur, quae omnia jam satis valere putabis, ut acta a falsario recentioris temporis nescio quo ficta esse statuendum sit. Haec tamen Tua argumenta non vehementer me commovent; immo actorum sinceritati magis favere contenderim, quam ut noceant. Ita enim sentio. Si nunc totius mensis vel aliquot mensium acta integra ex antiquitate subito nobis detegerentur, in lapide aut aere aut papyro aut alia qua re inscripta, quam multa inveniremus, quae aut omnino adhuc ignorassemus, aut quae cum historicis antiquis levioribus in rebus pugnarent, aut talia haberent, quae quod adhuc

---

1) In commentario ad Tacit. Annal. V, 4.

2) Cfr. Beckmanni *Beiträge zur Geschichte der Erfindungen*, II, p. 239.

de moribus quibusdam Romanorum compendia Romanarum antiquitatum docent corrigere et emendare possent. Idem de his actorum fragmentis statuendum. Quod Livio in multis levioris momenti rebus contradicunt, in aliis mire cum eo conspirant, quod ea afferunt, quae alias nusquam leguntur, taliaque sunt, ut inveniri posse tam apte a recentiorum aliquo nullo potuerint modo, hoc mihi pro argumento firmissimo sumo, haec acta supposititia non esse. Huc accedit, quod multa a vv. dd. injuria reprehensa nec recte satis intellecta esse videntur. Singula quod huc afferam, non est; in antecedentibus ad singulos locos attuli omnia accuratiusque defendi.

At restat unum exquirendum, quod est et de scripturae et de sermonis forma ea, quam acta exhibent, quae forma non parum sane antiquitatem redolet, ita ut ne ab iis quidem viris dd. taxari potuerit, qui actis infestissimi fuerunt.

Scripturae formam antiquam esse facile conceditur. At dices recta antiquitatis imitatione ita fingi potuisse. Sunt tamen, ut equidem sentio, singula quaedam in scriptis maxime nominibus, quae non ita a recentiori scripta fuisse putaverim, ut illud AEGVPTI, illud SVRIAE (fragm. VII), SYLLANVS (fr. VIII), quod proprie SVLLANVS scriptum fuisse puto, LAODICIA pro Laodicea (fr. IX), RVSCIVS pro Roscio (fr. VIII), ut videtur. Addo formas APRILEIS (fr. II, III, IV) et FASCEIS (fr. II). Nec dubito, quin in archetypo terminatio *eis* in similibus semper obtinuerit, quanquam descriptores eam multis locis neglexerunt. Pertinet huc illud AIMILIVS fragmento V, cujus scriptura omnino antiquior est nulloque actorum loco non restituenda videtur. Nec injuria suspicamur antiquam formam *Quoquorum* in actis legi. Quae scripturae inconstantia demonstrare quoque poterit, quam multa a descriptoribus incuriosis nescio quibus neglecta sint, ut recte suspicemur, acta non ea forma nunc legi, quali in archetypo fuerint. Quare Tu mihi, Clerci, recte fecisse videris, qui duplex I (II) semper contraxeris in unum I, quamquam uno tantum loco equi-

dem inveni fragm. VII: DĪS. Quae quidem omnia faciunt, ut non haec ita a falsario excogitata putem, qui non ita modo antiquiores, modo recentiores formas miscuisset, sed sibi constitisset. Sed sunt sane haec omnia, quae modo dixi, antiquioris cujusdam formae indicia, a descriptoribus alias servatae, alias neglectae.

Unum tamen Tu, Clerci, rectissime de scriptura actorum observasti, recentiorem eam videri pro tempore, quod septem priora fragmenta repraesentant; nam illo sane tempore alia valuit scribendi ratio, qualem S. C. de Bacchanalibus et epitaphia Scipionum ostendunt, paulo certe antiquiora. Ea, quam acta ostendunt, scripturae forma ad Ciceronis et Caesaris tempus aptissima, fortasse etiam recentior paullo, certe antiquior non est. Quin etiam hoc facile demonstratu est, quatuor extrema actorum fragmenta ad annos 691 et 698 pertinentia omnino ejusdem scripturae esse, ac superiora illa anni 585; quid, quod ejusdem etiam auctoris esse contenderim.

Quae omnia quomodo explicari possint, paulo infra demonstrabo. Nunc de dicendi actorum ratione exponam, ex quo ipso loco etiam id facile apparebit, unum omnium actorum auctorem esse.

Actorum linguam simplicem et nudam, puram tamen omninoque latinam esse, quis est, qui infitias ire possit? Reprehendisti Tu quidem, Amplissime Clerci, pauca quaedam, vereor tamen, ne injuria. Veluti in fragmento I illud: „Senatus coactus in Hostilia" vix satis emendate scriptum Tibi videtur Non video, quid Te offendat, nisi forte in participii forma haeres. Attamen bene tutatur hanc ipsam locutionem bonus auctor Suetonius in Jul. Caes. c. 16: *Senatus ob eundem coetum festinato coactus.* Tutatur Jul. Caesar in bell. civ. I, 32: *Senatu coacto.* Nec illud est, quod ambigas, *ove fecit* utrum ab ovis vocabulo derivatum, an prisca forma pro *ubi* positum sit. Quis enim illa aetate *ove* pro *ubi* dixerit? Nec sensum quidem sanum praeberet illud *ubi.* Optime vero ablativus casus cum *facere* congruit. Cfr. VII fragmenum, Virgil. Ecl. III, 77: *facere vitula*; Colum. III, 21:

catulo facere. Falsum vero est, quod vocem *ampliatus* nusquam, nisi apud Livium et qui ab eo id verbum mutuassent, apud Valerium Maximum, apud Aurelium Victorem inveniri dixisti. Valerius Maximus et Aurelius Victor si Livium respexerunt, certe in voce *ampliatus* non sunt sectati. Immo Cicero eodem modo *ampliandi* voce usus est compluries. Certe dicit activa structura: *Quid fuit, quare illum nefarium ampliaveritis.* Ita si activa forma dicitur, rectissime dicas passiva aliquem ampliatum. Sed quid multis opus est? In verbis vix est, quod quis vituperare potuerit; immo quod in diurnis actis omnino locum habebat, ut simplicissimus, nudissimus, tamen purus et latinus esset sermo, id de nostris mirum in modum fragmentis valet. Cfr. programma meum de actis Rom. diurnis, p 14. Nec Tu, Clerci, nec quisquam alius ulli praeterea verbo barbariei notam inferre potuistis.

Nec tamen satis adhuc singularis sermonis virtus, qua nostra acta excellunt, considerata videtur, id quod jam nobis facere in animo est, ut vix quemquam recentiorum tam pure scribere potuisse demonstremus. Quae quidem virtus inprimis conspicitur eo, quod ad describendas singulas quasque res tam apta adhibita sunt verba, ut aptiora adhiberi non potuerint. Pauca afferam inprimis excellentia, nam, si rem premere volueris, nullum non verbum actorum afferendum sit. Sic in fragmento I illud: *Fasces penes Aemilium*, illud *senatum cogere*, illud *ove facere*, omnino latina sunt. Ex fragmento II afferam *rixae* vocem, qua Latini inprimis usi sunt ad contentiones violentiores denotandas. Cfr. Ovid. de art. amat. III, 71 et Horat. Carm. I, 27, 4. Illud *carnem non inspectam* omnino latinum est. Est titulus in Pandect. de ventre inspiciendo. Optime dicta sunt illa: *Ad Telluris, ad Castoris*, aliaque similia. Ex fragmento III haec apponam, quod egregie sint scripta: *Q. Aufidius — cum magna vi aeris alieni cessit foro. Retractus ex itinere causam dixit apud P. Fontejum Balbum praet. et cum liquidum factum esset, eum nulla fecisse*

detrimenta, *jussus est in solidum aes totum dissolvere.* Quam distincta, quam accurata singula quaeque. Animadvertas elegantem particulae *cum* usum in illis: *cum magna vi* (cfr. Cornel. Nep. IX, 2: *cum magna pecunia venisse*), illud *vi*, illud *cessit foro*, illud *retractus ex itinere*; illud *detrimenta facere*, illud *cum liquidum factum esset*, illud *dissolvere.* Quae omnia quamvis simpliciter sint dicta, ut debebant dici in actis, tamen vereor, ut possint ullo modo melius dici. — Nec minus lecta sunt illa verba in fragmento IV: *Insulae duae absumtae solo tenus et aedes quinque, ambustae quatuor.* Illud *absumtae* quam accurate oppositum est verbo *ambustae.* Verbum amburendi autem ita proprie in usu de iis, quae incendio non conflagrantur, sed laeduntur tantum. Cfr. Suet. Claud. 21: *Theatrum ambustum restituit.* Ascon. Pedian. in orat. p. Mil. p. 85, a: *item Porcia basilica ambusta est.* — Illud *in crucem actus* latinum omnino. Dicunt Latini: in crucem agere, in crucem tollere, cruci affigere, aliaque — *Vexillum positum* bene dictum, ita ut Latini solent. Sexcenties legitur illud: *sacramento adegerunt* in veteribus. — Ex fragmento V haec affero: *frequentia prosequente*, — *cum consternatione vicinorum*, — *cum majore pompa*, — affero quidem eam ob causam, quia tam accurate quod volunt exprimunt. Non est, quod demonstrem prosequendi verbum de comitantium celebratione, et frequentiae vocem de confluentium multitudine ita saepissime dici; nec exemplis opus est, ad usum verborum *consternationis* et *pompae* demonstrandum. Illud, quod in VI fragm. est: *de pontificum sententia*, quam latinum sit, supra dixi. Ex VIII fragmento licet mihi verba *tumultus* et *rixae* eligere, quod ad eum sensum, quem illic tenent, sunt aptissima. In IX fragmento illud *obtinuit* eleganter dictum; nam sic de eo, qui quod vult impetrat, apud Latinos, juridicos maxime, in usu est. Cfr. Liv. XXXV, 10; Cic. ad fam. VIII, 6 et I, 5. — *Vadimonia differre* solemnem Latinorum dictionem esse supra scripsi: nec minus illud solemne et elegans: *ex praetura proficiscitur.* Satis probe illud etiam: *perseve-*

ravit in inquirendo. Haec tetigisse sufficiat, nec opus est pluribus exponere. Nam quod jam dixi, acta ita scripta sunt, ut scribi apud antiquos solebant, nude, simpliciter, sine ornatu fucato, latine tamen mirum in modum, ut ita componi potuisse a falsario audacter negaverim.

Insunt etiam, quod bene tenendum, in grammatica verborum ratione subtilitates quaedam latinae linguae tam propriae, ut a falsario medii aevi nullo modo ita profectae esse potuerint; nam sunt tales, quas reconditior nostri temporis grammatica doctrina recte demum illustraverit. In fragmento II legitur: *C. Titinius — mulcavit lanios, quod carnem vendidissent* sqq. In fragmento III est: *Postumius trib. pleb. viatorem misit ad consulem, quod is eo die senatum noluisset cogere.* Utroque loco aptissime modus conjunctivus adhibitus est ad sententiam altero loco Titinii, altero Postumii indicandam. Sed in fragmento IX simili in enunciato indicativum legimus certissimo sententiae discrimine usurpatum. Ibi enim ita: *Testamentum Melionis allatum Mycenis. Praetor peregrinus rescidit, quod expressum erat ab eo tormentis.* Haud dubito, quin falsarius conjunctivum posuisset, ut supra. Indicativus tamen significat non rescissum eo testamentum, quod praetor putasset expressum fuisse tormentis, sed quod re vera expressum fuerat.

At tale etiam falsarium haud ignorasse discrimen dixerit quispiam. Vix puto; licet tamen haud ignoraverit illud. Quae jam afferam, tam subtilia sunt, ut falsarius quamvis grammaticae, qualis tum tractabatur, peritissimus minime intellexisset. In VIII fragmento est: *tumultus in sacra via;* in fragm. X eodem modo: *caupo — occisus in via publica.* At in fragmento V omissa praepositione: *tota sacra via;* nec aliter in fragmento X: *Funus Metellae — illatae sepulcro suorum majorum via Aurelia.* Quid est, quod scriptor in tam similibus praepositione modo sit usus, modo non sit? An hoc arbitrio fecit? Minime; linguae accuratissimus usus ita deposcebat. Nam non nisi raro et poetice dici posse *tota in sacra via* taliaque, grammatica docet. Nec satis recte dixeris: *Fu-*

nus M. — sepulcro illatae in via Aurelia. Conjungendus enim est ablativus ille *via Aurelia* cum participio: *illatae.* Funus igitur illud via Aurelia exportatum est; ex qua re facile concluditur, sepulcrum ipsum juxta viam Aureliam fuisse. Ita ad grammaticam rectissime acta; nam Latini non dicunt: *ire, proficisci, incedere in via,* sed *ire via* sqq. Cfr. Cic. ad Attic. V, 14: *Nunc iter conficiebamus aestuosa et purverulenta via;* ad Attic. IX, 11: *cursem huc illuc via deterrima.* Rectissime autem dicitur: *tumultus in sacra via, — occisus in via publica,* quibus locis si omissa esset praepositio, vitium esset. Nam *in* cum ablativo id, quod rem aliquam quasi includat, significat, vel, ut aliter dicam, id, in cujus interiore parte quid est. Cfr. Reissigii *Vorlesungen über Lateinische Sprachwissenschaft*, §. 409. Sic tumultus in via est; nam via quasi circumdat, fit in media via; occiditur aliquis in via; nam via circa locum est, quo occiditur.

Haec tam subtilia grammaticae discrimina, quae vereor, num recte exprimere potuerim, in actis minime neglecta sunt. Addo hujusmodi alia, bene observanda. Docent grammatici et veteres et recentiores, si ad viae vocem adjectivum adponatur, quod quae via intelligenda sit significet, adjectivum postponendum esse; dicendum esse *via Appia,* non *Appia via,* et similia. Cfr. Onuphr. Panvinii reipublicae Romanae commentarii tres, p. 132: „Sextus Pompejus ex Verrio Flacco annotavit in viarum nominibus substantivum in sermone praeponendum, ut dicatur *via sacra.*" Cfr. Krebsii *Anleitung zum Lateinischschreiben*, §. 555. Ita rectissime in actis nostris in fragm. X: *via Aurelia*, et in fine: *in via publica.* Sed, laesa grammaticorum regula, in fragm. V est: *tota sacra via,* et in VIII: *in sacra via.* Quid jam statuendum? Ergone falsarius scriptor? Immo ipsa illa grammaticorum regula non sine exceptione est; equidem usitatius dixisse veteres *sacra via* quam *via sacra* crediderim. Certe Cic. ad Attic. IV, 2: *cum sacra via descenderem.* Id. ad Q. Fratr. III, 1: *ex eo loco recta vitularia via profecti sumus.* Ita Varro de ling. lat. IV,

p. 15 non viam sacram, sed sacram viam dicit; Sueton. Jul. Caes. c. 46: *in sacra via*, nec aliter marmor Ancyranum: AEDEM. LARVM. IN. SVMMA. SACRA. VIA. Liv. V, 32 et 50, Novam viam, non viam Novam scripsit. Nec in his omnibus exemplis ex oppositione quadam vulgaris verborum ordo mutatus est.

Ne hoc quidem omittendum putavi, ut ne in minimis quidem et subtilissimis ab antiquorum sermone acta nostra discrepare demonstrarem. Restant alia quoque grammatica ejusmodi explicanda. Tale est, quod in fragmento IX legitur: *Q. Tertinio jus dicenti nuncius allatus est de morte filii fictus ab amicis Copponii, rei de veneficio, ut concilium dimitteret. Ille perturbatus domum se recipiebat, sed re comperta perseveravit in inquirendo.* Animadvertenda sunt diversa tempora, *domum se recipiebat — perseveravit*. Elegans enim imperfecti usus, qualis hic deprehenditur, de incepta, sed non perfecta actione a recentioribus demum grammaticis satis intellectus et expositus est. Cfr. simillimi loci, Cic. div. in Caec. 17, 55, et Tacit. Annal. II, 34. Cfr. Zumptii Grammat. lat. §. 500. Observanda etiam est structura illa verborum in fragmento IX: *Tribuni plebis intercesserunt S. C. de tributis Laodiciae, ut darent praedes.* Quae quidem structura tam latina est, ut a falsario scriptam non putem. Pluribus de ejusmodi enunciatis exposuit Kritzius ad Sallust. Cat. c. 5. Cfr. quoque Jahnius ad Virgil. Eclog. VI, 71.

Nec hoc quidem eodem in fragmento falsarius ita scripsisset: *Sex. Ruscius ex municipio Larinati.* Scripsisset fortasse: *Sex. Ruscius ex municipio Larinati oriundus*, vel tale quid, illud vix satis latinum habuisset, quod est latinissimum. Docent nunc quoque elegantioris latinitatis doctores vel optimi et cautissimi in talibus adjecto vel participio vel adjectivo supersederi non posse, sed vix satis circumspecte. Cfr. Handii nostri liber optimus: *Lehrbuch des lateinischen Styls*, Jenae 1833, p. 161 sqq. Exempla, quae quod diximus probent, innumera exstant. Pauca afferam: Ovid. Metam. IV, 637: *ex auro*

ramos, ex auro poma. Neu hoc poetis solum licuisse putes, conferas Cic. Verr. IV, 27: *ex auro poculum*, et ib. IV, 18: *monile ex auro et gemmis.* Simillime nostro actorum loco Plaut. Capt. III, 2, 10: *Philocratem ex Aulide ecquis omnium noverit.* Pari modo explicandi sunt Caesaris loci, qui sane offensioni fuerunt viris dd. aliam etiam ob causam, in bell. civ. I, 24: *Magius Cremona*, et III, 71: *Granius Puteolis, M. Sacrativirus Capua* sqq. — Sed plura afferam ex Cicerone; pro domo 235, b: *ejus simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit*; pro Arch. 190, a (c. 9): *Ennius in sepulcro Scipionum putatur esse constitutus e marmore.* His in locis ne quis illud *e marmore* velit ex verbis *constitutus* et *positum* aptum facere, conferat alia quoque. Orat. 206, b (c. 31): *Demosthenis imaginem ex aere vidi*; et in Verr. IV, c. 49: *Qui accessistis Ennam, vidistis simulacrum e marmore.* Cfr. Sall. Cat. 6. Possum alia ex aliis scriptoribus afferre; sed verendum est, ne sim molestus.

Antequam eum locum, qui de lingua actorum est, relinquam, non praetereundum videtur, insigni modo in actis reperiri earundem formularum crebram satis repetitionem. Exempla afferam:

In fragm. I est: *Bene mane sacrificavit ad Apollinis, ove fecit Laurentiae.* Eadem fere verba in fragm. VII leguntur: *Legati bene mane sacrificarunt ad Castoris dis Penatibus P. R., tauro fecerunt.* Simillime quoque in fragm. VIII: *Is bene mane sacrum fecit ad Castoris dis Penatibus publicis.* Easdem fere locutiones observaveris in IV fragm. et in VI: *Data visceratio, — lautia legatis data, — epulum in funere populo datum.*

Eaedem loquendi formulae recurrunt et in fragm. III et in VIII et IX: *Causam dixit apud P. Fontejum Balbum praetorem. — Syllanus — caussam dixit apud Q. Cornificium. — M. Tullius caussam dixit pro Corn. Sylla apud judices.* Simillima sunt, quae in fragm. II et VIII sic leguntur: *Fulguravit, tonuit et quercus tacta in summa Velia paullum a meridie. — Tonuit sub meridiem, fulguravit et quercus tacta in summo Argileto.*

Quam similia quoque in fragm. V et X haec sunt: *Funus Marciae Sex. F. cum majore pompa imaginum, quam frequentia hominum. — Funus Metellae Piae Vestae Virginis illatae sepulcro suorum majorum via Aurelia.*

Sic quoque ter res similes iisdem paene verbis narrantur et in fragm. II et in VIII et IX: *Rixa ad Janum infimum in caupona et caupo graviter sauciatus. — Rixa Po — et Q. — Rixa ad fornicem Fabii et caedes gladiatorum duorum ex ludo Curionis.*

In fragm. V bis *frequentiae* verbum juxta positum est: *frequentia prosequente; — frequentia hominum.* Duplici ex causa hanc earundem formularum tam similem repetitionem bene animadvertendam censeo. Nam primum quidem inest in ea non debile de veritate actorum argumentum. Mos enim apud veteres, ut in legibus et caussis, ita etiam in diurnis actis valuisse videtur, ut formulis certis ad certas designandas res uterentur. Falsarius vix dubitaverim quin variasset eam ipsam ob causam, ne falsarius esse videretur.

Sed alterum etiam est, cur de earundem formularum repetitione mentionem faciendam esse putaverim. Nam, quod sane mireris, eadem fere loquendi ratio tum in iis actis valet, quae anni 585 sunt, tum in iis, quae annis centum et quod excurrit post sunt scripta. Possumus quidem hoc ex certa quadam formularum repetitione, qualem in actis locum habuisse diximus, explicare, et est sane aliquid in hac ipsa re. Attamen inde vix totam hanc omnium actorum, et eorum, quae anni 585 et eorum, quae longe post scripta sunt, similitudinem explicueris. Nam non tantum eaedem in utrisque recurrunt formulae, sed eadem quoque omnino valet scribendi ratio, et talis quidem, quae, non antiquioris illius aevi videatur, quod septem priora fragmenta in fronte gerunt, sed ejus, quod Ciceronis fuit. Hoc nemo erit, quin vel cursim acta perlegens animadverterit; nec puto quenquam futurum esse, qui in utrisque tam diversorum temporum actis diversam omnino scribendi formam et rationem regnare contendat. Unum sane inter utraque acta discrimen interest, ut ea acta,

quae ab anno 691 sunt, aliquanto sint verbosiora et longiora, singulasque accuratius descripserint res.

Haec omnia quam mira sunt! Acta habemus temporum diversissimorum, ut multi putant, egoque sane firmissime, ex antiquitate genuina ad nos perlata. De ratione, qua ad nos pervenerint, nihil certi constat, tamen doctissimi aevi decimi sexti viri nihil de eorum fide dubitarunt, ad eaque provocant ut antiquissima. Quae narrantur in iis, in universum antiquorum moribus mirum in modum apta sunt, taliaque perscribunt, quae falsarius comminisci potuisse minime videatur; quae vero antiquorum scriptis acta contradicere dicuntur, partim ea sunt, quae ne nunc quidem satis constent ignorenturve omnino, partim ea, quae injuste a viris dd. sint reprehensa. Forma actorum et ad sermonis et ad scripturae rationem mirum in modum antiqua est; attamen id mirandum, quod diversorum temporum acta nihil inter se discrepant sibique sunt simillima. Quae omnia quomodo jam explicemus, ut nihil difficultatis restet? Equidem unam omnium difficultatum removendarum certam viam perspexisse mihi videor, eamque satis veram, ut, *quae habemus diurnorum fragmenta, ex collectione quadam urbanorum actorum excerpta dicamus, quales collectiones ab antiquis ipsis confectas esse certum est.* Ita Mucianum quendam undecim actorum libros edidisse, in Dialogo, qui Tacito vulgo adscribitur, de orat. c. 37 legimus. Quae Muciani actorum collectio utrum actorum forensium an urbanorum fuerit, nescimus. Illud satis ex l. l. apparet, ex Pompeji Crassique temporibus et antiquiori etiam acta tum servata et illi collectioni indita fuisse. Nec minus certo ex Vopisc. in Aurel. c. 12 concludimus, Acholium quendam actorum collectionem instituisse. Nec id quidem dubitandum est, quin privati homines tales sibi actorum collectiones conscripserint. Notum etiam illud, Tiberium imperatorem, tribus ad conquirendum describendumque senatoribus delectis, magnam partem actorum, quae perierant, reparasse. Cfr. Dion Cass. lib. LVII. Ex tali igitur actorum collectione paginas aliquot servatas habuisse aut ex corpore actorum

majore descripsisse putandus est nescio quis; talia fragmenta in Vivis puto incidisse manus, qui quin pluribus viris dd. communicaverit, dubium non est. Sed videtur illud archetypon sive Vivis sive antiquioris fuit, male et obscure scriptum non ab omnibus viris satis recte, certe non uno modo descriptum fuisse. In universum quoque, quae per plures manus serpunt, variantur paullatim. Ita lectionum illa diversitas enata est, quae in Pighiana et in Vossiana descriptione deprehenditur. Melior tamen videtur Pighiana, ut supra ostendi. Multa ex tali nostra conjectura explicantur, ita ut conjectura firmissime stabiliatur paeneque ita firmetur, ut pro veritate haberi possit. Nam ex collectione quadam si acta nostra servata sunt, quid certius, quam unam eandemque scribendi formam in illa regnasse? Non ita enim veteres antiqua monumenta in collectionibus suis faciendis servare solebant, ut ne litteram quidem archetyporum mutarent totamque vetustatis retinerent formam; immo suam suorumque temporum et in dictione et in scriptura rationem in vetusta illa transferre et omni collectioni quasi unam faciem induere solebant, ne aequalibus obsoleta forma offensioni esset. Ita Livius senatusconsultum de Bacchanalibus sua lingua retulit, non vetusta illa, quae conspicitur in aere vetere nunc adhuc Viennae asservato. Itaque nihil debebit offensionis habere, quod in omnibus nostris fragmentis, licet diversissimi sint temporis, una inest scribendi dicendique forma; et quod septem fragmenta priora non satis vetustam pro tempore, quod describunt, formam exhibent.

Explicatur inde quoque alia quaedam res tam difficilis, ut *Moylius* et *Gibbonius* vel unam hanc satis esse putarent ad actorum falsitatem demonstrandam saneque eam, quae vix explicari posse videatur. Est illud, quod de taberna argentaria ad scutum Cimbricum narrat fragmentum III. Quanquam enim illo tempore, quod acta illa describunt, Cimbrorum nomen inauditum adhuc erat Romae, tamen quo tempore actorum facta est collectio erat notissimum. Taberna illa antiquior sane, quam Cimbricum bellum. Actorum corpus qui confecit, quisquis ille fuit, tabernae

id nominis dedit, quod suo valeret tempore, omninoque omnia ita mutavit et elaboravit, ut sui temporis captus depostulare videretur. Opus itaque erat, maxime in locis describendis, ut loca ea ratione insigniret, qua suo tempore insigniri solerent. Idemque Livius fecit, licet paulo accuratius et cautius III, 48: *prope Cloacinae ad tabernas, quibus nunc Novis est nomen.* Attamen ne sic quidem omnium diversorum temporum vestigia in fragmentis evanuerunt; nam brevior antiquiorum, longior recentiorum expositio de temporum diversitate satis testatur. Hoc vero ipsum, quod acta nostra in altera re unius temporis, in altera diversorum saeculorum indicia produnt, documentum haud debile est de actorum sinceritate. Quis enim falsarius ita haec omnia poterat invenire?

Sed jam finem faciam longiori sane meae actorum defensioni. Ex qua id facile elucebit, quam difficilis sit multarum, quae actis continentur, rerum certa investigatio; facilemque haec ipsa res, si non omnia ad vivum, ut dicunt, potuerim resecare, excusationem mihi parabit apud judices aequos. Sed debebit quoque singularis haec multarum rerum difficultas pro testimonio firmissimo haberi, re vera acta antiquitatis esse. Nam cum singulorum actorum dispersas sane narrationes acceperis ex antiquitate, quid exspectaveris aliud, quam inesse in iis, quae obscuriora sint? Quare omnis mea argumentatio eo maxime spectabat, ut quae actis objicerentur, aut omnino falsa esse demonstrarem, aut talia, quae ne satis quidem nunc possint nobis nota esse; inesse praeterea tam singularia et egregia et in rebus et verbis, quae imitatoris esse non possint, itaque praeproperum sane videri, fragmenta, quorum historia tam singularis et antiqua sit, falsitatis velle damnare, cum ne id quidem satis possit intelligi, qui potuerit medii aevi homo diurna tam bene, tam egregie imitari, de quibus nemini tunc constabat.

Tueamur igitur misera illa acta omnibus, quibus possumus, viribus. Tueamur eo magis, quia reliquiae sunt talium actorum, quorum praeterea vix vestigia quaedam exstant. Quod si vero insunt in illis actis, quae expli-

cari posse non satis videantur, studeamus potius accuratiori rerum indagatione explanare, quam ut ad facillimum illud remedium refugiamus, ut ea falsitatis arguamus, quae explicare nequeamus.

Tu vero *Vir Amplissime*, *Doctissime*, *Clerci*, in quem proprie haec conscripta est dissertatio, benigna mente excipies, quae non hostili, sed amico animo in Te sunt dicta; et pro singulari Tua humanitate, quam benevolis nuper litteris expertus sum, excusabis, quae minus recte ego Tibi judicasse videar. Gratias vero his litteris Tibi testari velim pro iis omnibus, quae ex libro Tuo doctissimo didici, quae fuerunt maxima sane et amplissima. Vale mihique fave!

INDEX RERUM.

(*Numeri paginas designant.*)

INDEX VERBORUM.

INDEX AUCTORUM ANTIQUORUM.

INDEX AUCTORUM RECENTIORUM.

DEFENSIO

CORNELII NEPOTIS

CONTRA

AEMILIUM PROBUM

LIBRARIUM.

DEFENSIO CORNELII NEPOTIS
CONTRA AEMILIUM PROBUM, LIBRARIUM.

Septimus hic jam annus est, quum libellum de iis vitis, quae sub Cornelii Nepotis nomine vulgo feruntur, satis juveniliter, sed non sine ardore quodam animi conscriptum in publicum emisi [1]). Cujus libelli fatum non deplorandum sane, paulo felicius etiam quam pro opinione fuit. Nam, quod vix exspectaveram, sententiam meam de auctore illarum vitarum prolatam mox viris haud contemnendis ita persuasam vidi, ut disceptationem totam illam de vitarum auctore inquirendo difficiliorem meo scripto ad finem perductam esse dicerent [2]). Sed reperti sunt mox alii quoque, qui causam Aemilii Probi defendendam denuo reciperent, vitarumque illarum graves satis vituperatores sese ostenderent [3]); exortus est unus quoque, qui singularem

1) Prodiit is Lipsiae in libraria Wuttigiana MDCCCXXXVII hoc titulo: *De auctore vitarum, quae sub nomine Cornelii Nepotis feruntur, quaestiones criticae. Scripsit G. E. F. Lieberkühnius Pohlmannianus.*

2) Cfr. *Joannes de Gruber,* in diario Berolinensi, Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik, ann. 1837, No. 22. — *Theod. Lütkenhus, de Cornelii Nepotis vitis et scriptis commentatio,* Monasterii, 1838. — *J. Freudenberg,* in recensione trium de Cornelio Nepote editarum commentationum, quae legitur in diario, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, 1839, No. 138, p. 1110. *Idem in Quaestionibus Historicis in Cornelii Nepotis vitas,* Coloniae 1839. Cfr. praeterea Münchner gelehrt. Anzeigen. 1837, No. 101—103 et Heidelberger Jahrbb. 1837, S. 526.

3) Inprimis huc pertinet *Guiel. Frid. Rinckius,* qui in *prolegg.* suis ad Aemilium Probum amplissimis, editioni Aemilii Probi Rothianae praefixis, veterem suam de vitis sententiam magna cum doctrinae abundantia defendit. Nec non *Carolus Ludovicus Rothius* huc numerandus est, qui jam ipso titulo Nepoti vitas eripere studuerit. Titulus enim editionis, quam paravit, hic est: *Aemilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium et Cornelii Nepotis quae supersunt.* Basiliae, 1841.

in me libellum docte et ingeniose scriptum ederet, pluresque ejusmodi libellos vel ab extrema Oceani ora se emissurum esse minitaretur [1]). Cujus viri in me scribendi ratio quamvis magnopere placeret satisque mihi esset honorifica, tamen ipsi Cornelio paene perniciosior fore videbatur, quippe qui vir doctus alios etiam ad suam sententiam transduceret. Fuit tertium denique genus virorum doctorum, qui medium inter utrosque, quos supra descripsi, Cornelium quidem vitarum auctorem esse concederent, tamen totam hanc quaestionem nondum ita disputatam esse dicerent, ut satis absoluta videri debeat [2]). Inter quos meum quoque nomen lubentissime profitear, licet, qui hanc sententiam protulerunt, eam in me meumque scriptum inprimis direxerint. Multum quidem abest, ut hoc judicium, quod prius de vitis illis in medium proposui, nunc condemnem mutemve, ut id etiam nunc omnibus viribus tuendum censeam; attamen, septem annorum spatio praeterito, multa in mentem incurrerunt, quae certius meliusque mihi videar perspexisse, maximeque ea, quae ad eam similitudinem demonstrandam pertinent, quae est inter Attici Catonisque vitas et viginti tres illas, quas Probi esse perhibent. Non

---

1) *A. F. Nissenius* hic est, Gymnasii Rendsburgensis Conrector, qui programma scholasticum ann. 1839 in vulgus edidit hoc titulo: *De vitis, quae vulgo Cornelii Nepotis nomine feruntur, contra Lieberkühnium Pohlmannianum aliosque disputationis particula prior.* 10 S. Cujus se asseclam professus est *Ludovicus Wiese* in *commentatione* docta *de vitarum scriptoribus Romanis*, Berolini 1840, p. 25 sqq. Nec scio, an huc *C. Beneckium* numerem, qui in *editione* sua *Cornelii Nepotis*, Berolini, 1843, in praefatione p. 12 eandem, quam Nissenius, proposuit de auctore vitarum sententiam. Nam reduxerunt hi tres viri veterem Barthii de epitomatore Aemilio Probo conjecturam.

2) Huc refero inprimis *Joan. Christ. Jahnium*, diarii philologici Lipsiensis cum Klotzio editorem satis clarum, qui in diurnis suis: Jahrbb. für Philologie u. Pädagogik, ann. 1840, p. 445—474 in egregia omnium de auctore vitarum editorum librorum facta recensione tam circumspecte, tam docte tamque eleganter de vitis Cornelianis judicavit, ut hic vir non parvum momentum ad totam illam quaestionem dijudicandam iis maxime, quae p. 464 sqq. proposuit, attulisse dicendus sit.

igitur aut ignavia aut inscitia aut defensionis desperatione adversarii illi me tamdiu conticuisse et a causa Cornelii, quam religiose mihi prius tutandam susceperam, timide recessisse putabunt. Quod longe aliter est. Non enim putabam, quae olim disputassem, omnino prolapsa et irrita facta esse. Nunc vero tempus jam visum est, Cornelii Nepotis adversariis audacius irruentibus, priorem redintegrare pugnam, et piam causam, ita enim censeo, defendendam mihi denuo sumere. Nec despero me vincere posse, licet fortissimi sint illi, qui repugnandi sunt. Confido veritate; confido patrono, cujus auxilio facile spero omnes istorum impetus reprimi posse. Hunc sinam pro me pugnare; ego vix multa addam ad causam defendendam. Proferet ille testimonia sua, quae apud judices aequos valebunt; equidem non litigabo, non utar artificiosa aut contorta disputandi ratione, nullis sophistarum artibus. Patronus meus omnia peraget. Quaeretis, quis sit ille, quo tantopere confidam. Jam nominabo, jam producam, et nescio an ipso jam nomine perterrere possit adversarios. *Cornelius Nepos* ipse est, qui cum Aemilio Probo furti aget, suaque sibi repetet.

Nolite me ut vaniloquum irridere. Jam accuratius definiam illud de Cornelii Nepotis patrocinio, quomodo ipse ille suum defendere scriptum possit. Attici Catonisque vitas integras esse Nepotis facile obtinebo; nam et manu scripti libri Nepotis esse dicunt et Attici vitam Nepotis esse multis internis quoque argumentis evinci poterit, id quod in fine disputationis paucis certe demonstrabo. Jam vero ex mira Attici cum ceteris vitis similitudine efficiam, illas quoque non posse ab alio auctore profectas esse. Quae similitudo inprimis in eadem conspicua est auctoris cogitandi judicandique ratione. Quam cogitandi rationem multi sentiri quidem, demonstrari tamen non posse dicent. Poterit tamen demonstrari quoque, siquidem verum est, sentiendi similitudinem tum maxime cerni, cum ad similes designandas res similes eaedemque adhibitae sint sermonis formae. Quae quidem sermonis similitudo inter Attici Catonisque vitas et inter reliquas viginti tres permira

est; eadem est sententiarum inter se connectendarum ratio, eaedem recurrunt dicendi formulae quaedam, singulares sane, idem est scriptoris oppositarum sibi cogitationum studium, eadem quoque est judicandi saepissime conspicua ratio, eaedem deteguntur rerum grammaticarum quaedam proprietates. Operae pretium me facturum esse confido, si talem omnium vitarum inter se similitudinem lectoribus accuratissime ante oculos constituero. Quod ita efficiam, ut omnia similia exempla, in genera quaedam redacta, sibi exadversum ponam, ut vel oculis comparari possint. Ipsum igitur Cornelium Nepotem loquentem faciam; ne, si verba scriptoris dereliquero, aut paulo immutavero aut decurtavero, minus appareat similitudo illa.

Aggrediar primo loco ea, quae ad sententiarum inter se copulandarum rationem spectant, ex quibus sane multa sunt singularia. Nam habet scriptor vitarum inprimis talia in usu: *quo fiebat, quo factum est, ex quo fiebat, quibus rebus factum est, quibus rebus fiebat*, vel brevius illud: *quo facto;* adamat copulandi rationem per particulas: *sic, ita, itaque.* Quae omnia vim concludendi in se habent, et ab aliis quoque scriptoribus usurpantur. Sed qui tam saepe, tam diligenter adhibuerit, praeter vitarum scriptorem nemo est, ita ut recte in talibus aliquid, quod scriptori huic inprimis sit proprium, inesse judices. Exempla apponam:

Attic. XII, 3. Nam cum Saufeji — triumviri bona vendidissent consuetudine ea, qua tum res gerebantur: Attici labore atque industria factum est, ut eodem nuntio Saufejus fieret certior, se patrimonium amisisse et recuperasse.

Eum. V, 6. *Quo factum est, quod omnibus admirabile est visum, ut aeque jumenta nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset.*

Hamilc. III, 2. *Quo factum est, ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse.*

Milt. V, 2. *Quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valuerit.*

Attic. IV, 2. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam ab se dimitteret cuperetque secum deducere.

Attic. VI, 5. Quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

Attic. XV, 3. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis negotia procuraret.

Alcib. VII, 2. *Ex quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta ejus culpae tribuerent, cum aut eum negligenter aut maligne fecisse loquerentur.*

Timol. V, 1. *— quo factum est, ut ejus diem natalem festum haberet universa Sicilia.*

Aristid. II, 3. *Tum vero et intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.*

Themist. I, 4. *Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.*

Alcib. VII, 3. *Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent et alium in ejus locum substituerent.*

Dion. I, 1. *Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret, ac filium.*

Milt. II, 3. *Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus.*

Chabr. I, 3. *Ex quo factum est, ut postea athletae ceterique artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, quibus victoriam essent adepti.*

Them. III, 4. *Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et*

exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

Milt. VII, 4. *Quo factum est, ut—*

Them. VI, 5. *Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.*

Ages. II, 2. *Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet.*

Aristid. III, 3. *Quo factum est, ut filiae ejus publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur.*

Attic. III, 1. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent civemque facere studerent.

Alcib. III, 5. *Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescunque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur.*

Hoc loco interponendum putavi id, quod ad temporum usum pertinet, in locutionibus illis bene observandum. Nam scriptorem vitarum certissimo sensus discrimine modo imperfecto *fiebat*, modo perfecto *factum est* usum videmus; *imperfecto* enim exprimit durasse, iteratam et continuatam quasi esse temporis spatio aliquo, incertum quam longo, quod tamen ex connexu rerum facile intelligitur, illam efficientiam, quam dicam, *perfecto* nil nisi locum efficientiam illam habuisse accuratissime indicat. Exempla in promptu sunt, et ex Attici vita et ex ceteris; in superioribus enim leguntur. Jam sequantur ea exempla, in quibus illud *quo facto* legitur.

Iphicr. I, 4. *Quo facto expeditiores milites reddidit.*

Timoth. II, 2. *Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt, sqq.*

Phoc. III, 2. *Quo facto populus superior factus statim duces*

adversariae factionis capitis damnatos patria propulit.

Ages. VIII, 5. *Quo facto eum barbari magis etiam contempserunt.*

Pelopid. I, 3. *Quo facto eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt.*

Pelop. V, 5. *Quo facto omnes Thessaliae civitates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis aeneis liberosque ejus multo agro donarunt.*

Hamilc. I, 2. *Quo facto, cum paene omnia in Sicilia Poeni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur.*

Chabr. IV, 2. *Quo facto circumfusus hostium concursu, cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa coepit sidere.*

Lysand. I, 2. *Quo facto Athenienses se Lacedaemoniis dederunt.*

Attic. V, 1. Quo facto tulit pietatis fructum.

Iphicr. II, 3. *Quo facto magnam adeptus est gloriam.*

Alcib. VIII, 3. — *quo facto necessario aut classe conflicturos aut bellum composituros.*

Hannib. III, 4. — *quo facto is hodie saltus Grajus appellatur.*

Alcib. IV, 7. *Quo facto multo superiores bello esse coeperunt.*

Adjungo ea exempla, quae incipiunt a particula *sic*.

Att. VIII, 4. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est.

Themist. V, 3. *Sic unius viri prudentia Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia.*

Attic. XXII, 3. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit leviorque morbus esse coepit.

Attic. X, 5. Sic Atticus non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit.

Hannib. XIII, 1. *Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo.*

Alcib. X, 6. *Sic Alcibiades, annos circiter XL natus, diem obiit supremum.*

Eumen. XIII, 1. *Sic Eumenes annorum V et XL, cum ab anno vicesimo, uti supra ostendimus, VII annos Philippo apparuisset, XIII apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, in his uni equitum alae praefuisset, post autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxisset, — captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit vitae exitum.*

Epam. VIII, 4. *Sic a judicio capitis maxima discessit gloria.*

Dat. VIII, 6. *Sic bellum, quod rex adversus Datamem susceperat, sedatum est.*

Hannib. III, 2. *Sic Hannibal minor V et XX annis natus imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit.*

Dion. X, 2. *Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine ab Acherunte, si possent, cuperent redimere.*

Attic. VII, 3. Sic vetere instituto vitae effugit nova pericula.

Attic. XI, 5. Sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit: quod neque laedebát quemquam, neque, si quam injuriam acceperat, non malebat oblivisci quam ulcisci.

Pausan. V, 4. *Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit.*

Ages. VI, 3. *Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit et adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit.*

Milt. III, 2. *Sic enim facillime putavit, se Graeca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus, se oppressis, nulla spes salutis relinqueretur.*

Cim. I, 1. *Tali modo custodia liberatus Cimon celeriter ad principatum pervenit.*

Cim. IV, 4. *Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura et mors acerba.*

Similiter usurpatur a vitarum auctore illud *itaque* et *ita* similique ratione explicandum est. Cujus rei exempla adjungam; nam permulta sunt.

Alcib. IV, 7. *Itaque hujus consilio Lacedaemonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt; dein Deceleam in Attica munierunt, sqq.*

Them. VIII, 5. *Itaque Pydnam eum deduci jussit et quod satis esset praesidii dedit.*

Att. III, 2. Itaque aliquot ipsi et Phidiae [1]) locis sanctis-

Pelop. II, 2. *Itaque cum tempus est visum rei gerendae, com-*

---

1) Lectionem Phidiae plurimis Msc. praeberi videmus; fluctuant tamen libri, alii Phydiae, alii Piliae, alii Fidiae, alii Fidie exhibent. Equidem ex conjectura scripserim *Pilio*, quem virum a Cicerone ad

simis posuerunt; hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant.

Attic. X, 2. Itaque ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem, —

muniter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt, sqq.

Alcib. X, 3. *Itaque misit Susametrem — ad Alcibiadem interficiendum.*

Dion. X, 3. *Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est.*

Eum. I, 5. *Itaque eum habuit ad manum scribae loco: quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos.*

Chabr. III, 3. *Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimum aberat.*

Chabr. III, 4. *Itaque Conon plurimum Cypri vixit, sqq.*

Pelop. V, 2. *Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliae proficiscerentur, sqq.*

Cim. III, 3. *Itaque post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est.*

Milt. V, 4. *Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit proeliumque commisit.*

Paus. V, 2. *Itaque paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, in aedem Minervae, quae chalcioecos vocatur, confugit.*

---

div. VIII, 8 commemoratum legimus. Ibi enim ita: „*quod Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit.*“ Haec scribens video codice Ernstii conjecturam meam firmari.

Attic. II, 2. Itaque interfecto Sulpicio posteaquam vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cum alii Syllanis, alii Cinnanis faverent partibus: idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit.

Attic. VIII, 3. Itaque appellatus est a C. Flavio, Bruti fami-

Hannib. IX, 3. *Itaque cepit tale consilium.*

Eum. VII, 1. *Itaque copias contraxit, bellum adversus Antigonum comparavit.*

Datam. IV, 3. *Itaque cum paucis, sed viris fortibus, navem conscendit.*

Datam. III, 1. *Itaque omnibus insciis eo, ubi erat rex, venit posteroque die Thuyn cet.*

Alcib. V, 2. *Itaque ad Tissaphernem, praefectum regis Darii, se contulit.*

Alcib. V, 1. *Itaque tempus ejus interficiendi quaerere instituerunt.*

Timoth. I, 3. *Itaque accepit Crithoten et Sestum.*

Phoc. III, 4. *Itaque a servis sepultus est.*

Lysand. III, 1. *Itaque hi decemviralem suam potestatem ab illo constitutam sustulerunt.*

Milt. V, 1. *Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt.*

Datam. IX, 3. *Itaque eo profectus est, in quo itinere futuras insidias dixerant.*

Datam. III, 5. *Itaque magnifice Datamem donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur —, parique eum atque illos imperio esse jussit.*

Themist. III, 1. *Itaque missi sunt delecti cum Leonida.*

liari, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet.

Attic. XI, 6. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.

Attic. XV, 1. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate.

Attic. I, 3. Itaque incitabat omnes studio suo; quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero.

Pausan. IV, 4. *Itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt.*

Con. I, 3. *Itaque nemini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.*

Timol. III, 4. *Itaque, cum primum potuit, imperium deposuit, ac privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit.*

Alcib. VII, 3. *Itaque huic maxime imputamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis.*

Milt. VII, 5. *Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater ejus Tisagoras.*

Alcib. VI, 2. *Itaque et Siciliae amissum et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent.*

Cimon. II, 1. *Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate et apud exercitum plurimum valuit auctoritate.*

Pelop. IV, 1. *Itaque haec liberandarum propria laus est Pelopidae, ceterae fere communes cum Epaminonda.*

Unum praeterea adjiciam locum, in quo offensioni fuit viris dd. illud *itaque;* quod melius sane intellexissent, si vitarum auctorem non strictae conclusionis sensu,

sed laxiori quadam copulandi notione *itaque* tam saepe in usu habere bene tenuissent. Locus est:

Arist. I, 1. — *aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se.*

Rarius scriptor per simplex *ita* copulat.

Lysand. IV, 3. *Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.*

Alcib. V, 7. *Ita praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.*

Lysand. II, 1. *Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur.*

Unam eandemque scribendi formam et in Attici Catonisque vitis et in ceteris valere, non ex his solum, sed ex aliis etiam copulandi formulis clarissime apparet; ex quibus jam illas afferam: *ex quo judicari poterit, ut judicari possit, ex quo intelligi potest, ex quo cognosci potest, ut judicare difficile sit, ut facile intelligi possit,* et similia. Exempla, quid sentiam, demonstrabunt.

Attic. V, 3. Ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem.

Attic. XV, 3. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reipublicae procurationem.

Attic. XI, 4. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quod non florentibus se vendidit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem

Epam. X, 4. *Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem fuisse.*

Eum. II, 2. — *quod facile intelligi posset* —

Eum. IV, 2. *Qui cum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facile intelligi posset, inimica mente contendisse animoque magis etiam pugnasse, quam corpore; non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit.*

Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florentem coluerit.

Attic. V, 4. Ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius.

Attic. XIV, 3. Ex quo cognosci potest, eum usum pecuniae non magnitudine, sed ratione, metiri solitum.

Attic. XVI, 1. Ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus.

Attic. XII, 5. Quod in praesenti utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare.

Attic. XV, 1. Ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent.

Attic. XI, 3. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse.

Attic. XX, 5. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet.

Dion. V, 3. *Ex quo intelligi potest, nullum imperium esse tutum, nisi benevolentia munitum.*

Hannib. V, 4. — *ex quo intelligi possit* —

Milt. VI, 1. — *quo facilius intelligi possit* —

Aristid. I, 1. *In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae.*

Epam. II, 2. *Ut facile intelligi possit, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.*

Eum. XIII, 2. — *ex hoc facillime potest judicari, quod nemo Eumene vivo rex appellatus est, sed praefectus.*

Hannib. XIII, 4. *Quo facilius — qui viri praeferendi sint possit judicari.*

Epam. III, 4. *Fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut judicari possit, omnia ei cum amicis fuisse communia.*

Sunt aliae quoque copulandi voculae, quas scriptor ita adamasse videtur, ut omnino saepius et liberiori quodam modo, quam alii scriptores, eas adhibuisse dicendus sit. Huc refero illud *nam* et *namque*, quod saepissime ab initio enunciatorum positum observaveris. Conferantur haecce exempla:

Attic. II, 1. Namque Anitia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio cet.

Attic. XIV, 2. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent.

Attic. XVII, 3. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, cet.

Attic. XVIII, 5. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, cet.

Attic. XIX, 2. Namque hic contentus ordine equestri, cet.

Attic II, 4. Nam praeter gratiam, quae jam in adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit.

Attic. II, 5. Nam neque indulgendo inveterascere eo-

Con. I, 1. *Namque omnibus unus insulis praefuit; in qua potestate sqq.*

Them. X, 3. *Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis, —*

Milt. I, 2. *Nam tum* [1]) *Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum.*

Epam. VII, 4. *Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli periturum.*

Con. II, 3. *Namque hostium navibus captis statim ex classe copias suas eduxit, barbarorumque maximam vim uno concursu prostravit.*

Cim. I, 2. *Namque Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere.*

Thrasyb. II, 6. *Nam cedentes violari vetuit; cives enim civibus parcere aequum censebat.*

Pausan. I, 2. *Namque illo duce Mardonius, satrapes regius, natione Medus — fugatus est.*

---

1) Sane multi codd. *nam tum*, aliquot *namque tum* habent. Etiam Eum. II, 2 *nam tum* est sine ulla librorum discrepantia.

rum aes alienum patiebatur neque cet.

Attic. II, 6. Nam universos frumento donavit cet.

Attic. IV, 4. Nam et ad comitia eorum ventitavit et sqq.

Attic. XIII, 2. Nam domum habuit, cet.

Attic. XIII, 3. Namque in ea erant pueri litteratissimi, cet.

Attic. XIII, 4. Nam et non intemperanter concupiscere, — et sqq.

Attic. XXI, 2. Nam putarunt esse tenesmon cet.

Attic. XXI, 6. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus cet.

Attic. XII, 3. Nam cum —

Attic. XIII, 1. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax.

Cat. II, 3. Nam et in complures nobiles animadvertit et sqq.

Cat. III, 1. Nam et agricola solers et sqq.

Praefat. 7. *Nam neque — neque.*

Eumen. XII, 3. *Nam negabat, se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus.*

Them. VIII, 1. *Namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate ejectus Argos habitatum concessit.*

Aristid. II, 3. *Namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii.*

Alcib. II, 2. *Namque eum induxit commemorantem, se pernoctasse cum Socrate neque aliter cet.*

Alcib. VI, 2. *Nam postquam —.*

Milt. II, 2. *Nam cum —*

Them. II, 4. *Nam cum —*

Paus. II, 2. *Nam cum Bizantio expugnato cepisset complures Persarum nobiles, sqq.*

Milt. III, 1. *Nam si —*

Milt. V, 3. *— namque arbores multis locis erant stratae.*

Milt. VI, 3. *Namque huic Miltiadi cet.*

Milt. VIII, 1. *Namque Athenienses cet.*

Milt. VIII, 3. *Nam Chersonesi —*

Them. I, 3. *Nam cum judicasset cet.*

Them. II, 2. *Nam cum —*

Them. II, 4. *Nam cum —*

Them. V, 1. *Nam Themistocles —*

Them. V, 3. *Nam pari modo —*

Them. VI, 2. *Namque Lacedaemonii, cet.*

Them. VII, 5. *Nam illorum urbem cet.*

Them. VIII, 5. *Nam cum —*

Them. IX, 3. *Nam cum —*

Arist. I, 4. *Nam postquam —*

Paus. III, 5. *Nam opinio manebat, cet.*

Paus. IV, 3. *Nam ne hujus quidem, cet.*

Cim. I, 1. *Nam cum pater —*

Cim. II, 3. *Namque hostium navibus captis, sqq.*

Cim. III, 1. *Nam testarum suffragiis, cet.*

Lysand. I, 4. *Nam cum —*

Lysand. I, 5. *Namque undique —*

Lysand. III, 3. *Nam non solum —*

Lysand. IV, 1. *Nam cum Lysander —*

Alcib. VII, 2. *Namque imperator fuit summus et mari et terra —*

Alcib. IV, 3. *Nam postquam —*

Alcib. V, 1. *Nam cum acerrimi viri —*

Alcib. VII, 1. *Nam cum ei —*

Alcib. VII, 2. *Nam corruptum a rege Cymen capere noluisse arguebant.*

Alcib. VIII, 6. *Nam Lysander, cum per speculatores comperisset —*

Alcib. IX, 1. *Nam Thraces, postquam —*

Alcib. IX, 3. *Namque ei Grynium dederat* —

Alcib. IX, 5. *Nam Cyrum fratrem.*

Alcib. XI, 2. *Namque ea, quae supra scripsimus* —

Thrasyb. I, 2. *Nam quod multi voluerunt* —

Thrasyb. I, 5. *Nam cum XXX tyranni* —

Thrasyb. II, 4. *Nam jam tum* —

Thrasyb. III, 3. *Nam cum quidam* —

Thrasyb. III, 2. *Nam parva munera* —

Con. I, 2. *Nam et prudens* —

Con. II, 2. *Nam cum Lacedaemonii* —

Con. IV, 3. *Nam ducem fortem* —

Con. V, 1. *Nam classe Peloponnesiorum* —

Con. V, 2. *Nam cum* —

Dion. I, 1. *Namque ille superior* —

Dion. I, 3. *Namque etsi* —

Dion. II, 1. *Nam quanto* —

Dion. IV, 4. *Nam puero* —

Dion. IV, 4. *Namque appositi erant custodes* —

Dion. V, 5. *Nam Dion* —

Dion. VI, 2. *Nam cum* —

Dion. VI, 4. *Namque aperuisse videbatur* —

Dion. IX, 6. *Namque illi ipsi* —

Dion. X, 1. *Nam celeri rumore* —

Dion. X, 2. *Nam qui* —

Iphicr. I, 3. *Namque ille pedestria arma mutavit* —

Iphicr. I, 4. *Nam pondere detracto* —

Iphicr. II, 5. *Nam nisi* —

Chabr. I, 2. *Namque in eo* —

Chabr. II, 1. *Nam Nectebenin* —

Timoth. IV, 1. *Nam quos* —

Datam. I, 2. *Namque hic* —

Datam. II, 1. *Namque hujus opera* —

Datam. IV, 2. *Namque Aspis* —

Datam. V, 4. *Namque eam esse consuetudinem regiam* —

Datam. V, 6. *Nam Mandoclen* —

Datam. X, 1. *Namque is* —

Epam. II, 1. *Nam et citharizare et* —

Epam. III, 5. *Nam cum* —

Epam. IV, 1. *Namque is rogatu Artaxerxis* —

Epam. IV, 2. *Nam si rex* —. *Namque orbis terrarum* —

Epam. V, 2. *Namque illi genti* —

Epam. V, 4. *Nam paritur pax bello* —

Epam. X, 2. *Namque ex me natam* —

Epam. X, 3. *Namque omnem* —

Pelop. I, 3. *Nam post Peloponnesium bellum* —

Pelop. II, 3. *Nam duodecim adolescentuli* —

Pelop. III, 1. *Nam magistratuum* —

Pelop. IV, 2. *Namque* [1]) *Leuctrica pugna* —

---

1) Lambinus: *Namque in L.*

Pelop. V, 1. *Nam et initio — et —*
Ages. I, 5. *Nam Lysandro suffragante —*
Ages. II, 1. *Namque fama exierat —*
Ages. III, 5. *Nam cum illo venisset —*
Ages. V, 2. *Namque illa multitudine —*
Ages. V, 4. *Nam si —*
Ages. VI, 2. *Nam cum quidam —*
Ages. VI, 3. *Namque illi —*
Ages. VII, 2. *Nam cum praecipue —*
Ages. VIII, 1. *Nam et statura fuit humili et —*
Eum. I, 2. *Nam cum aetas ejus —*
Eum. I, 5. *Namque apud eos —*
Eum. II, 2. *Nam tum in hostium erat potestate —*
Eum. VI, 1. *Nam tum in Epiro habitabat —*
Eum. VI, 3. *Nam et — et —*
Eum. VII, 3. *Nam cum —*
Eum. VIII, 2. *Namque illa —*
Eum. IX, 2. *Nam quod diebus quinque —*
Eum. X, 1. *Nam invidia ducum —*
Eum. XI, 5. *Nam et dignitate fuit honesta et —*
Phoc. II, 3. *Namque auctus adjutusque a Demosthene —*
Phoc. III, 1. *Nam populares —*
Timol. I, 1. *Namque huic uni —*
Timol. I, 3. *Nam cum frater —*
Timol. I, 4. *Nam dum —*
Timol. III, 5. *Nam quod —*

Timol. V, 1. *Nam proelia maxima —*
Timol. V, 2. *Namque id ut Lamystio —*
Timol. V, 3. *Namque hoc —*
Reges I, 1. *Namque eos attingere noluimus —*
Reg. I, 4. *Namque illo Perses —*
Reg. I, 4. *Nam cum —*
Reg. II, 2. *Nam et — et —*
Reg. II, 2. *Nam dum —*
Hamilc. II, 1. *Namque diuturnitate externi mali —*
Hannib. I, 2. *Nam quotiescunque —*
Hannib. II, 1. *Nam ut omittam Philippum —*
Hannib. V, 2. *Namque obducta nocte —*
Hannib. VII, 5. *Namque effecit —*
Hannib. VIII, 2. *Namque alii — alii —*
Hannib. XIII, 1. *Namque Atticus —*
Hannib. XIII, 2. *Namque aliquot ejus libri sunt —.*

Ex quibus exemplis, quae sane multa sunt, id volo intelligi, scriptorem vitarum habere talem cogitandi narrandique rationem, ut illud *nam* et *namque* singulari modo adamare videatur. Quaeso enim, quis alius scriptor sit, qui tam saepe has particulas in narratione sua adhibuerit? Id quoque observandum est, quod ad diversam formam *nam* et *namque* pertinet. Certissimum enim in vitis discrimen harum formarum observari potest. *Nam* ante consonantes, *namque* ante vocales positum in universum cernimus; excipiendum est tamen illud, quod semper scriptor dicit *nam et*, quod saepissime legitur, nusquam *namque et;* idemque discrimen valet in Attici Catonisque

vitis atque in ceteris, quod bene tenendum est. Ante *u* idem illud *nam* in usu fuisse videtur; *nam ut* in Hannib. II, 2 est, *nam universos* in Attic. II, 6. Nec illud regulae primariae, a nobis propositae, non adversatur, quod et *nam ille* et *namque ille* dicitur. Praeterea legimus: *Namque fama* (Ages. II, 1), *namque diuturnitate* (Hamilc. II, 1) *namque Leuctrica* (Pelop. IV, 2), *nam opinio* (Pelop. III, 5), *nam invidia* (Eum. X, 1), *namque Lacedaemonii* (Them. VI, 2). Ceterum accuratius singulos locos, ubi particulae illae leguntur, examinanti dubium esse non potest, discrimen inter *nam* et *namque* ad soni suavitatem quandam esse revocandum. Quare hanc ego regulam proposuerim ex nostris vitis: ante vocales *namque*, ante consonantes *nam* ponito; dicito tamen *nam et*, *nam ut* [1]).

Comparavi Crispi quoque Sallustii usum, quem particularum *nam* et *namque* habeat, et similem quandam regulam, non tamen eandem inveni. Sallustius saepius omnino *nam* quam *namque* posuit. *Namque* frequentius sane vocalibus antecedit, rarius consonantibus; *nam* ante consonantes ponitur, tamen, idem quod in Cornelio observaveris, semper *nam et*, *nam uti* et similia alia leguntur. Maxime observes: *nam ubi* (saepius), *nam in*, *nam ex*, *nam is*, *nam idem*, *nam apud*. Sed molestum est enumerare omnia, quum ne id quidem constet, num editores in his minutiis satis sibi caverint nulloque non loco optimam sequuti sint lectionem.

Adjungam hoc loco id, quod de particulae *enim* usu in vitis observavi, quod ipsum tale est, ut eundem et Attici Catonisque, eundem ceterarum vitarum scriptorem esse bene demonstret. Scriptor vitarum ita semper loquitur: *nemo enim*, *nondum enim*, *nihil enim*, *sic enim*, *hic enim*, *fuit enim*, *est enim*, *nonnulli enim*, *neque enim*. Cum vero sequitur *neque — neque*, semper dicendum est: *nam neque — neque*. In his igitur

---

1) Haud me fugiunt, quae v. d. Beneckius in edit. sua p. 15. de harum particularum discrimine disputavit; attamen ut vera ea haberem in animum inducere non potui.

formulis *nam* nusquam pro *enim* ponitur, nec in Attici, nec in ceterorum ducum vitis. Ceterum in vitis multo rarius *enim* quam *namque* et *nam* legitur. Nec puto discrimen inter *nam* et *enim* in sensus quadam diversitate esse; immo illud *enim* ibi usurpari videtur, ubi aliud verbum propter singularem vim ab initio enunciatorum ponendum est. Talibus addi secundo loco *enim* quasi enclitica vox debebat.

Sunt praeterea voces, quibus ad copulanda inter se singula enunciata vitarum scriptor singulari quodam modo utatur. Saepissime omnium pronomen *hic* et adverbium loci *hic* ab initio enunciatorum positum legimus, ita ut viri docti vitium quoddam Cornelianae dictionis in hac ipsa re inesse dixerint. Quod tamen minus recte statuisse videntur. Habet enim illud *hic* propriam suam vim demonstrandae quasi praesentis rei. Eam vero ob causam tam saepe scriptor hoc pronomen adhibuit, quod saepissime vult vel rei vel loci vel personae imaginem quasi repraesentare lectoribus. Videmus Sallustium quoque ita usurpasse pronomen *hic*, ubi imaginem vividiorem Catilinae describit. Cfr. Cat. c. V, 2, 6. Illud vero recte viderunt viri dd., inesse in hac ipsa re aliquid, quod vitarum scriptori sit imprimis proprium et peculiare. Longum est singulos adscribere locos, ubi pronomen legitur; id demonstrasse satis erit, et in Attici et in excellentium ducum vitis eundum apparere pronominis usum. In vitis enim excellentium ducum ducenties fere pronomen *hic* ab initio enunciatorum positum legitur; in vita Attici Catonisque vicies. Qui numeri quodammodo ei rationi respondent, quae inter magnitudinem utrarumque vitarum, et Attici Catonisque et excellentium ducum, intercedit. Nam harum vitarum centum quinquaginta duo capita sunt, inclusa praefatione, illarum viginti quinque. Ne haec quidem negligere debebit, qui de dictione utrarumque vitarum rectum volet judicium ferre. Nec indignum est observare, rarius paulo pronominis relativi ope a scriptore enunciata inter se connecti. Nec illud negari poterit, secundum regulam quandam pronomen relativum pro demonstrativo

legi, quam regulam tamen exponere in animo non est, ne fiam molestus. Illud certum est: ubi vitarum scriptor longiori et magis dissipata oratione utitur, magis in usum vocavit pronomen *qui*, ubi brevior et concisior dictio est, praevalet *hic*. Itaque in Attici, in Hannibalis, in Datamis vita saepissime *qui* ab initio enunciatorum legitur, in breviori Catone multisque aliis vitis saepius *hic*. In Attici Catonisque vitis tricies *qui* legimus copulandi sensu, in ceteris vitis fere decies et centies. Nec omittendum videtur, quod scriptor vitarum saepius cum pronomine relativo particulam *quidem* conjungit, eodem modo in Attico atque in ceteris vitis. Cfr. haecce:

Attic. XI, 4. Qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus quam florentem coluerit.

Attic. XII, 3. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit.

Alcib. XI, 1. *Qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando consenserunt.*

Hannib. I, 3. *Qui quidem — nunquam destiterit animo bellare cum Romanis.*

Epam. II, 2. *At philosophiae praeceptorem habuit Lysiam Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, —*

Iphicrat. II, 4. *Quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut —*

Dion. IV, 1. *Qui quidem cum a Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, sqq.*

Cfr. II, 2. *Qui quidem cum —*

Arist I, 3. *Qui quidem cum intelligeret —*

Timol. IV, 3. *Qui quidem cum —*

Locus Dion. VI, 3 huc non pertinet; nam ibi ex multis codd. pro *qui quidem* scribendum est: *qui quod.*

Connexui enunciatorum saepius etiam inservire videmus pronomen *idem*, nec injucundum observare est,

eundem usum in utrisque vitis valere, id quod jam prius in *quaestionibus meis criticis* de vero auctore vitarum editis p. 115 ostendere conatus sum. Quo loco quia non omnes enumeravi locos, jam nunc faciam.

Attic. IV, 1. Idem poemata pronunciabat et Graece et Latine —

Attic. XI, 5. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia.

Attic. XII, 4. Idem L. Julium Calidium, sqq.

Attic. XV, 2. Idem in nitendo, quod semel annuisset, tanta erat cura, ut sqq.

Attic. VIII, 6. Eidem in Epiro absens trecenta jussit dari.

Cimon. II, 2. *Idem iterum* —

Milt. VI, 4. *Idem ille* —

Themist. VI, 2. *Idem muros — restituit.*

Arist. II, 1. *Idem praetor fuit* —

Timoth. II, 1. *Idem* —

Iphicr. II, 5. *Idem* —

Alcib. I, 4. *Idem, simul ac se remiserat — luxuriosus, sqq.*

Alcib. IV, 7. *Ejusdem opera* —

Epam. III, 2. *Idem continens, clemens, cet.*

Epam. VI, 1. *Idem, cum in conventum venisset* —

Epam. X, 3. *Idem, postquam* —

Ages. V, 3. *Idem cum — compulisset,* —

Ages. VI, 1. *Idem cum — oppugnaret,* —

Phoc. II, 1. *Eidem cum — pervenisset,* —

Phoc. II, 4. — *idemque* —

Timol. V, 3. *Idem, cum* —

Solet etiam vitarum scriptor a voculis temporalibus enunciata incipere, quales sunt, *non multo post*, *interim*, *nunc*. Conferenda haec praepono:

Attic. VIII, 5. Neque multo post superior esse coepit Antonius —

Fragment. Cornelii Nepotis in Plin. H. N. IX, 39. 136. 137. — neque multo post rubra Tarentina.

Hannib. IV, 3. — *neque multo post C. Centenium* —

Phoc. II, 5. *Neque ita multo post Nicanor Piraeo est potitus.*

Reg. III, 4. *Neque ita multo post Seleucus a Ptolemaeo Cerauno dolo interfectus est* —

Attic. XIX, 1. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur.

Cim. III, 4. *Post, neque ita multo, Cyprum — missus —*

Chabrias II, 3. *Interim bellum in Aegyptios et Persas conflatum est.*

Dionys. II, 4. *Interim in morbum incidit Dionysius.*

Timol. II, 1. *Interim — Syracusarum potitus est.*

Phoc. III, 2. *Interim a Polysperchonte Cassandrus Macedonia pulsus est.*

Them. V, 1. *Interim ab eodem gradu depulsus est.*

Ages. VI, 1. *Interim accidit illa calamitas apud Leuctram Lacedaemoniis.*

Eum. III, 1. *Interim conflata sunt illa bella, —*

Cfr. Hamilc. I, 3.

Hae fere sunt voculae, a quibus frequentius sane quam alii scriptores vitarum auctor enunciata inceperit. Nec immerito ad hoc genus locutionum, quae orationi connectendae inserviunt, referas illas: *longum est*, *difficile est*, *satis est*, et quae ejusdem fere sententiae sunt. Exempla non rara leguntur, et eandem rationem, eademque saepe verba ut in Attici Catonisque ita in ceteris vitis cognoscimus, nisi quod in vitis excellentium ducum plura exstant, quippe quae numero sane plures sint.

Attic. XI, 3. Difficile est omnia persequi et non necessarium. Illud unum intelligi volumus, sqq.

Attic. XVII, 1. De pietate autem Attici quid plura commemorem?

Hannib. V, 4. *Longum est enumerare proelia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, sqq.*

Lysand. II, 1. *Cujus de crudelitate ac perfidia satis est unam rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerando defatigemus lectores.*

Timoth. IV, 2. *Timothei autem moderatae sapientisque vitae cum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile conjici poterit, quam carus suis fuerit.*

Hannib. V, 4. *Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, sqq.*

Alcib. XI, 6. *Sed satis de hoc, reliquos ordiamur.*

Nec inepte his adjungere possis tales locutiones, quales hae sunt: *Non praeteribo*, *lubet interponere*, *non alienum videtur, reliqua persequamur*, ut qualem loquendi rationem vitarum auctor in his quoque cogitationum transitionibus adamet, demonstremus.

Reg. III, 5. *De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur, non praeterire Hamilcarem et Hannibalem,* —

Attic. XIII, 6. Nec praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem: cum imprimis lautus esset eques R. et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus, non amplius quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum.

Pausan. IV, 3. *Non est praetereunda gravitas Lacedaemoniorum hoc loco.*

Lysand. IV, 1. *Atque hoc loco non est praetereundum factum Pharnabazi, satrapis regis.*

Ad sententiam loci exadversum positi (Attic. XIII, 6) *comparandum quoque est initium praefationis: Non dubito fore plerosque, qui hoc genus scripturae leve et non satis dignum, sqq.*

Epam. I, 3. *Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminon-*

dae, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam.

Milt. VI, 1. *Cujus victoriae non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam.*

Pelop. III, 1. *Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum ab re proposita est, nimia fiducia quantae calamitati soleat esse.*

Epam. I, 1. *De hoc priusquam scribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne —*

Datam. I, 2. *De quo hoc plura referemus, quo et obscuriora sunt ejus gesta pleraque et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat, acciderunt; quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.*

Attic. XIX, 1. Hactenus Attico vivo edita haec a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequamur, sqq. Cfr. XI, 3: Difficile est omnia persequi.

Epam. IV, 6. *Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est.*

Praefat. 8. *Sed hic plura persequi magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum.*

Paucis quoque stringam hoc loco similes alias quasdam locutiones, quod pari modo et in ceteris vitis et in Attico frequentes sunt: Arist. VI, 2: *Hic qua fuerit abstinentia, nullum certius est indicium, sqq.*; Tim. II, 3: — *quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate,*

indicio fuit —; Epam. VII, 1: *Fuisse patientem, suorumque injurias ferentem civium — haec sunt testimonia;* Epam. V, 6: *Abstinentiae erit hoc satis testimonium;* Lys. III, 5: *Quam vere de eo fuerit judicatum, oratio indicio fuit.* — Ex Attici vita haec sunt adnotanda: Attic. X, 3: *Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum* —; III, 3: *Hoc specimen prudentiae;* XVI, 1: *Humanitatis nullum afferre majus testimonium possum* —; XIII, 4: — *quod est signum* —; XVII, 2: *Quod est signum* —.

Venio ad eam partem dissertationis, qua scriptori singulare quoddam efferendarum per opposita cogitationum studium proprium fuisse demonstrem. Quod quidem studium ita in vitis praevalet, ut non solum, quae sententia sibi contraria sint, ita sibi opponantur, sed etiam ea, quae similia sunt sensu, contradictionis quadam forma tali modo exprimantur, ut per adjectam oppositioni negationem in affirmationis sensum singulari quadam dictionis elegantia transformentur. Jam igitur ponam talia exempla, qualia sunt harum particularum: *neque tamen*, et adjecta negatione *neque tamen non; neque vero* et *neque vero non, etsi — tamen, tamen, tamen non, tamen nihilo secius, neque eo secius, neque eo magis, neque eo minus*, et quae similia sunt. Quae omnia frequentissime in vitis leguntur, idemque talium dictionum studium et in Attici Catonisque et in ceterorum ducum vitis scriptori fuisse proprium comparet.

Attic. XIII, 4. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum domique factum habuit; quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae.

Alcib. VIII, 1. *Neque tamen a caritate patriae poterat recedere.*

Datam. V, 5. *Neque tamen quidquam fecit, quod fide sua esset indignum.*

Eum. X, 1. *Sic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio celeritatemque impedivit ejus; neque tamen multum profecit.*

Thrasyb. II, 4. *Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes.*

Them. VIII, 1. *Tamen non effugit civium suorum invidiam.*

Epam. VII, 3. *Nec vero hoc semel fecit, sed saepius.*

Attic. VI, 1. In re publica ita versatus est, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret.

Timol. III, 5. *Neque vero id imperite fecit.*

Epam. IV, 5. *Neque vero id satis habuit, sed etiam, ut inviolatus in navem adscenderet, per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit.*

Dion. I, 1. *Neque vero haec Dionysium fugiebant.*

Chabr. III, 4. *Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem.*

Epam. X, 2. *Neque vero stirps mihi potest deesse.*

Attic. XIII, 1. Neque tamen non inprimis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est.

Eum. I, 3. *Etsi ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant, neque tamen non patiebantur.*

Attic. XX, 4. Neque vero a M. Antonio minus absens litteris colebatur.

Thrasyb. II, 2. *Neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis atque ejus solitudo.*

Con. II, 3. *Neque vero non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum.*

Con. V, 2. *Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quum potius patriae opes augeri, quam regis maluit.*

Eum. III, 1. *Quem etsi infirmum videbat, quod unus omni-*

Attic. X, 4. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus ejus amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere, tamen Attici memor fuit, —

Cat. III, 2. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit, neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum.

bus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit neque salutis quam fidei fuit cupidior.

Phoc. I, 1. *Phocion, Atheniensis, etsi saepe exercitibus praefuit summosque magistratus cepit, tamen multo ejus notior integritas vitae, quam rei militaris labor.*

Alcib. VIII, 4. *Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit, quod sentiebat, se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum, et, si quid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore; contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum.*

Datam. VIII, 1. *Haec etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere aut tam diu uno loco sedere.*

Dat. IV, 3. *Datames, etsi longe aberat ab his regionibus et a majore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit.*

Dat. VIII, 6. *Quam ille etsi fidam non fore putabat, tamen conditionem accepit seque ad Artaphernem legatos missurum dixit.*

Themist. V, 1. *Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam tum his opprimere posset hostes.*

Dion. I, 3. *Namque etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa, studebat.*

Eum. V, 1. *Sed exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen minuebant.*

Hannib. VIII, 3. *Quem etsi multa stulte conari videbat, tamen nulla deseruit in re.*

Milt. VIII, 1. *Etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis.*

Milt. II, 5. *Etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti resistere ausi non sunt.*

Them. III, 3. *Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere.*

Cfr. Ages. II, 5; Hamilc. I, 3; Hannib. XI, 3.

Nunquam dixit vitarum auctor *tametsi*, quo saepe Cicero, saepius etiam Sallustius usus est, et Sallustius quidem tam saepe, ut singulari quodam studio ad hoc verbum latus esse videri debeat. Vitarum auctor habet suum *etsi.*

Datam. X, 3. — *cum nihilo magis, ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conspectum venire studuit.*

Attic. VIII, 6. Neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

Paus. III, 5. *Hinc tamen se expedivit; neque eo magis carebat suspicione.*

Pelop. I, 3. *Quo facto eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt pecuniaque multarunt; neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt, quod susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quam liberari.*

Reg. III, 3. *At Demetrius, cum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, in custodia socer generi periit a morbo.*

Eum. IV, 2. *Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratus est, neque eo magis ex proelio excessit, sed acrius hostis institit.*

Adjungo hoc loco propter similitudinem illa: *quo magis*, *eoque magis.*

Hannib. X, 2. — *quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi.*

Thrasyb. II, 3. *Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni; neque sine causa dici, matrem timidi flere non solere.*

Milt. V, 4. — *eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur.*

Attic. IV, 3. Hic complures annos moratus, cum et rei familiari tantum operae daret, quantum non indiligens deberet pater familias, et omnia reliqua tempora aut

Dion. VI, 3. *Neque is minus valebat apud optimates, quorum consensu praeerat classi, cum Dion exercitum pedestrem teneret.*

Dat. II, 5. *In quo cum ab Ariobarzane, praefecto Lydiae et*

litteris aut Atheniensium rei publicae tribueret, nihilo minus amicis urbana officia praestitit.

Attic. XII, 4. Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum — expedivit.

Attic. II, 2. Neque eo secius adolescentem Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis; cujus fugam pecunia sublevavit.

Attic. XXII, 3. Tamen propositum nihilo secius peregit.

Attic. XX, 4. Neque vero a M. Antonio minus absens litteris colebatur: adeo, ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret curae sibi haberet certiorem facere Atticum.

Joniae totiusque Phrygiae, desertus esset, nihilo segnius perseveravit vivumque Thuyn cepit cum uxore et liberis.

Timoth. I, 1. *Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus civitatis regendae.*

Alcib. V, 6. — *neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quod in captos clementia fuerant usi.*

Milt. II, 3. *Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia praestabat.*

Con. II, 4. *Qui posteaquam domum a suis civibus revocatus est, quod Boeotii et Athenienses Lacedaemoniis bellum indixerant, Conon nihilo secius apud praefectos regis versabatur hisque omnibus magno erat usui.*

Hannib. VII, 1. *Ille nihilo secius exercitui postea praefuit resque in Africa gessit.*

Dion. VIII, 15. *Mulieres nihilo secius Callicratem in aedem Proserpinae deducunt ac jurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni.*

Eum. V, 1. *Hac ille perculsus plaga non succubuit neque eo secius bellum administravit.*

Timol. IV, 1. *Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit.*

Apparet idem scriptoris studium contraria sibi opponendi simplicissimo quoque modo in particularum *non — sed* frequenti usu.

Attic. XV, 1. — quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod praestare non posset.

Attic. IX, 5. — maximum existimans quaestum memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum.

Attic. XI, 4. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit.

Attic. XIV, 3. Ex quo cognosci potest, usum eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum.

Cato II, 2. Neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed jure res p. administrabatur.

Attic. XIII, 2. Nam domum habuit —: cujus amoenitas non aedificio, sed silva constabat.

Attic. XXII, 1. — ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare.

Eum. VIII, 3. *Hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeque inter se discesserant.*

Dion. VI, 5. *Hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidemque, cum Syracusas venisset, interficiundum curavit.*

Them. V, 2. *Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus XXX in Asiam reversus est, seque a Them. non superatum, sed conservatum judicavit.*

Eum. VIII, 2. *Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata tum gloria tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat.* —

Milt. II, 5. — *etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti resistere ausi non sunt.*

Them. I, 3. *Quae contumelia non fregit eum, sed erexit.*

Milt. V, 5. *In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarint, adeoque perterruerint, ut Persae non castra, sed naves petierint.*

Cat. III, 4. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit.

Attic. XIII, 7. Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus.

Attic. XV, 2. Idem in nitendo, quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere.

Attic. XV, 3. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse rei p. procurationem.

Timol. II, 3. — *quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit.*

Datam. X, 3. *Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed communi odio, quod erga regem susceperant, contineri viderentur.*

Paus. III, 1. *At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi non callida, sed dementi ratione consilia patefecit.*

Eum. XIII, 1. — *captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitae.*

Dion. II, 2. *Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suae salutis fecisse causa.*

Alcib. III, 6. *Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur.*

Cfr. Alcib. III, 3; Pelop. I, 1; Eum. VIII, 1. 3; XI, 5; VII, 3.

Ut illud *non — sed* oppositioni inservit, ita *non solum — sed etiam* eodem modo format oppositionem, sed talem, quae adjectis particulis *solum* et *etiam* vim adaequandae et copulandae cogitationis alicujus accipiat. Adjungo igitur hoc loco innumera illa exempla, quibus

vitarum auctor particulas *non solum — sed etiam* adhibuit; namque ex eodem studio oppositorum profectus est harum quoque particularum frequentissimus usus cum in Attici Catonisque vitis, tum in reliquorum ducum. Interdum legitur *non solum — sed*, *neque solum — sed* eo sensu, quem omnes norunt. Uno loco Eum. II, 4 legi: *neque vero — sed quoque.*

Attic. XX, 5. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, quum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet.

Cfr. Attic. XX, 1. 2.

Attic. VII, 3. Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata, ut victor, cum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeji castris concesserit.

Attic. I, 3. Erat autem in puero praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret.

Milt. III, 4. *Nam si cum his copiis, quas secum transportarat, interisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum fore dominatione et periculo.*

Them. II, 1. — *ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem.*

Milt. I, 1. — *eaque esset aetate, ut non jam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem eum futurum, qualem cognitum judicarunt.*

Timol. II, 2. — *eamque praeclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiae, quam crudelitatis; postremo, ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam fortunam detulisset.*

Thrasyb. I, 5. *Nam cum XXX tyranni praepositi a Lacedaemoniis servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives,*

Attic. IX, 2. Non solum inimici, qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam, qui adversariis ejus se dabant et in eo laedendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem, Antonii familiares insequebantur.

Attic. X, 4. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus ejus amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere, — tamen —.

Attic. X, 5. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit.

Attic. VI, 5. Qua in re non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, cum suspiciones quoque vitaret criminum.

Attic. XVI, 4. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

Attic. XIII, 4. — quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae.

quibus in bello parserat fortuna, partim patria expulissent partim interfecissent, plurimorum bona inter se divisissent: non solum princeps, sed etiam solus initio bellum his indixit.

Cim. IV, 1. *Hunc Athenienses non solum in bello, sed etiam in pace diu desideraverunt.*

Phoc. II, 3. *Hunc non solum in periculis non defendit, sed etiam prodidit.*

Paus. III, 1. *Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit.*

Timoth. IV, 2. *Cum Athenis adolescentulus causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in iis Jason, tyrannus Thessaliae, qui illo tempore fuit omnium potentissimus.*

Alcib. III, 5. *Itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et prodesse poterat.*

Lysand. III, 3. *Nam non solum corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedaemonem miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset.*

Hannib. VI, 4. *— quos non solum effugit, sed etiam ipsos oppressit.*

Phoc. II, 2. *Neque in eo solum offenderat, quod patriae male consuluerat, sed etiam quod amicitiae fidem non praestiterat.*

Attic. XVII, 3. Neque id fecit natura solum, quanquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina.

Ages. IV, 7. *Neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut templa deorum sancta haberet, sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit.*

Attic. X, 5. Neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim: ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam.

Hamilc. II, 5. *Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit, tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse.*

Attic. VIII, 2. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius, quam hoc sene; neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu.

Hannib. XI, 7. *Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit; neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.*

Thrasyb. III, 3. *Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam ut valeret effecit.*

Cfr. Tim. III, 1; Con. IV, 4; Epam. III, 2; VIII, 4; Pelop. III, 3; Hamilc. II, 4.

Rarius quidem vitarum auctor *non modo — sed etiam* pro *non solum — sed etiam* posuit; exstat tamen hoc quoque uno loco

Epam. X, 2. *Namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est.*

Adamat vero illud *modo* sequente negatione in talibus: *non modo non, non modo nihil, non modo nullum, non modo neminem;* — subsequuntur *sed, sed ne — quidem.* In talibus illud *solum* vitarum scriptor adhibet rarissime; et, quod ad nostram rem non parvi momenti est, et in Attici Catonisque et in ceterorum ducum vitis idem valet loquendi usus. Ceterum omnes sciunt, a Cicerone aliisque in talibus alterum *non* saepe omitti, ita ut dicatur *non modo — sed ne quidem*, quod tamen vitarum auctor nullo loco sibi permisit.

Cato II, 4. A multis tentatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

Incertus scriptor in prima pagina codicis orationum Cic. Philippicarum Guelpherbytani, ex libro Cornel. Nep. de Historicis Latinis: Non ignorare debes unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae, sed omnino rude atque incohatum morte Ciceronis relictum.

Attic. IX, 3. Atticus, cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil his indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt adjuvit.

Dion. VIII, 5. *Ille hac religione non modo non est deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens, ne prius consilium aperiretur, quam conata perfecisset.*

Eum. III, 4. *Eumenes intelligebat, si copiae suae cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras.*

Timol. I, 4. *Ipse non modo manus non attulit, sed ne adspicere quidem fraternum sanguinem voluit.*

Phoc. II, 5. *Ad quem recuperandum cum populus armatus concurrisset, ille non modo neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem praeesse voluit.*

Timol. III, 6. *Nullius unquam consilium non modo antelatum, sed ne comparatum quidem est.*

Ages. VIII, 2. — *ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem praeberet.*

Duobus locis est: *non solum non — sed etiam:*

Cfr. Attic. VII, 3. Vid. p. 139.

Datam. IV, 2. *Namque Aspis, saltuosam regionem castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat.*

Hoc loco lubet interponere, quamvis ad rem non satis pertineat, non solum illis particulis vitarum scriptorem singula enunciatorum membra per oppositionis formam ita connectere, sed etiam alias voculas habere in usu, quae nihil nisi adaequandi vim, non opponendi habeant, ut illa sunt: *et — et*, *partim — partim.*

Attic. XIII, 4. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci, et potius diligentia quam pretio parare, non mediocris est industriae.

Cat. III, 1. Nam et agricola sollers et rei p. peritus jurisconsultus, et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit.

Cat. II, 3. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum

Thrasyb. II, 2. *Quae quidem res et illis contemnentibus perniciei et huic despecto saluti fuit.*

Con. I, 2. *Nam et prudens rei militaris et diligens erat imperator.*

Con. I, 1. *Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari gessit.*

Alcib. VI, 2. *Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et praesentes secundas res cecidisse ejus opera.*

addidit, quare luxuria reprimeretur, quae jam tum incipiebat pullulare.

Attic. IV, 4. Nam et ad comitia eorum ventitavit, et si qua res major acta est, non defuit.

Attic. IV, 1. — captus adolescentis et humanitate et doctrina.

Iphicr. III, 1. *Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis injiceret admirationem sui.*

Ages. VIII, 1. *Nam et statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede.*

Cfr. Them. I, 4.

Illud quoque observandam est, quam similiter ad quas similes significandas res illo duplici *et* scriptor usus sit. Quam frequens illud: *nam et — et?*

Nec ita raro scriptor vitarum per *partim — partim* singula enunciatorum membra copulat. Cfr. haec:

Attic. VII, 2. Nullum ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores aut divitias ceperant, quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione domi remanserunt.

Praef. 5. *Quae omnia apud nos partim infamia partim humilia atque ab honestate remota ponuntur.*

Them. II, 8. — *suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina, partim Troezena deportant.*

Cfr. Thras. I, 5; Iphicr. I, 2; Pelop. III, 3; Eum. XIII, 1.

Dat. X, 2. — *quarum partim suis dispertit, partim ad Datamem mittit.*

Nihil dubitandum est, quin hoc Dat. loco scribendum sit *partim — partim*, quod in multis codd. est, nec vero *partem*, quod alii libri praebent. *Pariter*, quod in aliis est pro secundo *partim*, corruptum esse satis apparet; demonstrare tamen poterit *partim* genuinam lectionem esse, non *partem*. Nam quomodo ex *partim* potuerit *pariter* fieri, facile elucet; non tam facile, quomodo ex *partem*. Ceterum et Attic. locus I. et Datamis miro modo eandem

habent structuram, cujus rationem grammatici explicant. Cfr. Bremi ad Attic. VII, 2; Bardili ad eund. loc.

Ex oppositionis quoque studio frequentissimae illae explicandae sunt locutiones, quibus scriptor membra enunciatorum ita copulat, ut *comparativum* sequatur particula *quam*, quemadmodum illa sunt: *plus — quam*, *magis — quam*, *minus — quam* et similia. Quae eadem oppositionis forma manet, ubi comparativo antecedit negatio; sensum tamen talia haud negandi, sed affirmandi praebent. Ex quo genere frequentissima illa sunt: *non magis — quam*, *non minus — quam*, aliaque. Quae omnia in vitis tam saepe inveniuntur, ut ex singulari quodam usu profecta esse videri debeant.

Attic. VIII, 2. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius, quam hoc — sene.

Attic. V, 3. — ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem.

Attic. XVI, 1. Humanitatis vero afferre nullum majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Syllae fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto.

Timoth. IV, 3. *Patriae sanctiora jura, quam hospitii esse duxit.*

Datam. V, 2. — *quod illum unum pluris, quam se omnes fieri videbant.*

Alcib. VII, 4. — *gloriosius existimans, barbarorum praeda locupletari, quam Grajorum.*

Ages. IV, 3. — *multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam.*

Con. V, 1. *Plura concupivit, quam efficere potuit.*

Hamilc. II, 4. — *sed etiam eo compulit, ut locorum angustiis clausi plures fame, quam ferro interirent.*

Chabr. III, 2. — *quod et vivebat laute, et indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere.*

Attic. XIII, 2. Ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis quum sumptus habebat.

Attic. XI, 5. Sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit: quod neque laedebat quemquam neque, si quam injuriam acceperat, non malebat oblivisci quam ulcisci.

Epam. X, 4. *Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem, fuisse.*

Timol. II, 2. — *eamque praeclaram victoriam ducebat, in qua plus esset elementiae, quam crudelitatis.*

Milt. VIII, 4. *Haec populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.*

Timol. III, 4. *Maluit se diligi, quam metui.*

Alcib. X, 3. *Non tulit hunc satrapes et violare clementiam, quam regis opes minui maluit.*

Timoth. IV, 3. — *ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse.*

Timoth. I, 3. — *a quo cum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id sumere, cujus partem domum suam ferre posset.*

Con. V, 2. — *quod potius patriae opes augeri, quam regis maluit.*

Chabr. IV, 3. — *perire maluit, quam armis abjectis navem relinquere, in qua fuerat vectus.*

Eum. VI, 5. *His rebus Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.*

Con. III, 4. — *sed vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si, cum ex ea sim profectus, quae ceteris gentibus imperare consuerit, potius barbarorum quam illius more fungar.*

Attic. XIII, 4. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci; et potius diligentia quam pretio parare, non mediocris est industriae.

Alcib. IV, 1. *Id ille intuens neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, si quid de se agi vellent, potius de praesente quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine accusaretur.*

Cfr. Cim. III, 2; Pelop. I, 3; Ages. II, 1; Timol. I, 3; Eum. III, 1; VI, 5.

Attic. VI, 1. — quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis jactarentur.

Milt. II, 3. *Erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine; neque id magis imperio, quam justitia, consecutus.*

Timol. III, 6. *Neque id magis benevolentia factum est, quam prudentia.*

Pelop. II, 4. *Hi enim non magis adversariorum factioni, quam Spartanis, eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae.*

Cimon. I, 2. *Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis a m o r e, quam m o r e ductus.*

Dion. III, 2. — *hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannis.*

Lysand. I, 1. *Lysander, Lacedaemonius, magnam reliquit*

sui famam, magis felicitate, quam virtute partam.

Them. IV, 5. *Victus ergo est magis etiam consilio Themistoclis, quam armis Graeciae.*

Attic. XV, 1. — ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur an amarent.

Ages. I, 2. *Mos est enim a majoribus Lacedaemoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis, quam imperio cet.*

Simillimus locus exstat Cornelii Nepotis ex eo libri de Historicis Latinis fragmento, quod codex orationum Cic. Philippicarum Guelpherbytanus pag. I. exhibet, quem locum hic comparare operae pretium est. Hic est: E x q u o d u b i t o, i n t e r i t u e j u s u t r u m r e s p u b l i c a a n h i s t o r i a m a g i s d o l e a t.

Eum. IV, 2. — *animoque magis etiam pugnasse, quam corpore, non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit.*

Pelop. I, 1. — *magis historicis, quam vulgo, notus.*

Chabr. IV, 1. — *eumque magis milites, quam qui praeerant, adspiciebant.*

Saepius in vitis excellentium ducum talis invenitur conjunctio: *tam* — *quam*, cujus tamen in Attici Catonisque vitis exemplum reperire non potui.

Eum. XI, 5. — *neque tam magno corpore, quam figura venusta.*

Epam. II, 4. — *non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati.*

Iphicr. I, 1. — *non tam magnitudine rerum, quam disciplina militari nobilitatus est.*

Alcib. V, 1. *Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt*

facti, quam timore ab eo abalienati.

Redeo ad illa: *non minus — quam* et similia.

Attic. XIV, 1. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur.

Attic. XI, 4. — qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florentem coluerit.

Attic. XII, 5. — quod in eorum periculis non secus absentes quam praesentes amicos Attico esse curae, cognitum est.

Attic. XIII, 5. Neque vero ille vir minus bonus pater familias habitus est, quam civis.

Epam. VI, 4. *Quo cum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna.*

Them. I, 4. *Neque minus in rebis gerendis promptus, quam excogitandis erat, quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime judicabat et de futuris callidissime conjiciebat.*

Epam. V, 1. *Neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus.*

Alcib. I, 3. *Splendidus non minus in vita quam victu.*

Ages. IV, 2. *In hoc non minus ejus pietas suspicienda est, quam virtus bellica: qui cum victori praeesset exercitui maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartae.*

Eum. VIII, 2. — *neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint.*

Thrasyb. II, 6. *Usus est Thrasybulus non minus prudentia quam fortitudine.*

Attic. XXI, 1. Tali modo, cum VII et LXX annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate consecutus, tantaque prosperitate usus est valetudinis, ut annis XXX medicina non indiguisset), nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt.

Milt. II, 3. *Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus.*

Milt. II, 2. *Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate adjutus est.*

Dion. I, 3. *Erat intimus Dionysio priori, neque minus propter mores, quam affinitatem —*

Alcib. VII, 3. *Timebatur enim non minus, quam diligebatur.*

Eum. V, 5. *Qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret.*

Attic. XI, 6. Neque tamen prius ille fortunam quam se ipse finxit.

Paus. IV, 3. *Nam ne hujus quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent, neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset.*

Epam. III, 3. — *nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus.*

Epam. IX, 2. — *neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt.*

Eum. III, 6. *Itaque tenuit hoc propositum et prius in aciem exercitum duxit, proeliumque commisit, quam milites sui sci-*

rent, cum quibus arma conferrent.

Iphicr. II, 5. *Nam nisi ejus adventus adpropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent.*

Datam. III, 1. *Cujus facti ne prius fama ad regem, quam ipse perveniret, dedit operam.*

Chabr. II, 2. — *neque prius inde decessit, quam totam insulam bello devinceret.*

Ita varias quidem vitarum auctor particularum conjunctiones singulari studio adhibuit, quibus oppositiones quasdam cogitationum faceret, sed multa praeterea exempla exstant, ubi nulla adhibita particularum certarum ope oppositiones solis rebus expresserit scriptor. Ex quibus partem quandam, nam multa sunt, adscribere haud inutile videtur, ut qualis fere scriptoris dicendi ratio in his quoque sit, clarissime appareat.

Attic. XIII, 5. **Elegans, non magnificus, splendidus, non sumtuosus, omnique diligentia munditiam, non affluentiam, affectabat. Suppellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset.**

Milt. V, 5. *Nulla enim tam exigua manus tantas opes prostravit.*

Milt. VII, 1. *Quo imperio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit.*

Them. VI, 1. *Cum enim Phalarico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piraei portus constitutus est, isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipararet, utilitate superaret.*

Them. V, 3. *Nam pari modo apud Salamina parvo numero*

Attic. III, 1. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.

Attic. XI, 5. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia, quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat.

Attic. III, 2. Quam diu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit, absens prohibere non potuit.

Attic. III, 3. Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum; hoc specimen prudentiae, quod, cum in eam se civitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate doctrinaque praestaret omnes, unus ei fuerit carissimus.

navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

Them. I, 1. *Hujus vitia ineuntis aetatis magnis sunt emendata virtutibus, adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur.*

Alcib. IX, 2. *Nam Thraces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias fecerunt: qui ea, quae apportarat, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt.*

Thrasyb. I, 2. *Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare: huic contigit, ut a XXX oppressam tyrannis e servitute in libertatem vindicaret.*

Thrasyb. I, 3. *Primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc.* —

Thrasyb. II, 2. *Haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores.*

Datam. V, 4. *Namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae.* —

Thrasyb. IV, 2. *Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt.*

Alcib. III, 4. *Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat.*

Attic. XVI, 1. **Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Syllae fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum aequalibus autem suis Q. Hortensio et M. Cicerone sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus.**

Alcib. X, 6. *At mulier, quae cum eo vivere consuerat, muliebri sua veste contectum, aedificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum.*

Timol. III, 5. *Nam quod ceteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit.*

Phoc. I, 1. *Itaque hujus memoria est nulla, illius autem magna fama; ex quo cognomine Bonus est appellatus.*

Pelop. II, 3. *Qua paucitate percussa est Lacedaemoniorum potentia.*

Timoth. IV, 3. *Hic cum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo praesidio venit, tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse.*

Eum. V, 3. *Sed extremo tempore, cum consilio capi non posset, multitudine circumitus est.*

Hannib. I, 2. *Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem.*

Hannib. VIII, 3. *Antiochus autem, si tam in agendo bello consiliis ejus parere voluisset, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset.*

Hannib. III, 4. — *effecit, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere.*

Cfr. Epam. IX, 1; Cim. II, 4; Hannib. III, fin.

Expositis, quae de miro scriptoris studio contraria sibi opponendi dicenda habebam, ad eam scriptoris proprietatem jam veniendum est, qua adamat enunciata ita conformare, ut priorem enunciationem incipiat a demonstrativo quodam vocabulo, *adeo*, *sic*, *ita*, *tantopere*, *is*, *tantus*, *talis*, vel tali aliquo, quibus respondet particula *ut*, quo apodosis introducitur. Cujus structurae tam innumera in vitis leguntur exempla, ut auctor totam hanc loquendi formam ita comprobasse, ita quasi in consuetudinem recepisse dicendus sit, ut nullam praeterea aliam. Nec alius scriptor est, qui tam saepe hac loquendi ratione usus sit, et, quod ad nostram quaestionem non parum facit, non rariora hujus structurae exempla in Attici Catonisque vitis invenies, quam in eo libello, qui de excellentibus Graeciae ducibus conscriptus exstat.

Attic. XVIII, 1. — quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit.

Attic. X, 3. — cum eo, quem puero in ludo cognorat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit.

Attic. VII, 3. Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata, ut victor, cum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus

Them. IV, 5. — *adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit.*

Dion. V, 3. *Adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerit, Syracusas introierit.*

Epam. III, 4. *Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de re p. nihil praeter gloriam ceperit, amicorum in se tuendo caruerit facultatibus.*

Timol. I, 6. *Quibus rebus ille adeo est commotus, ut nonnunquam vitae finem facere vo-*

non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeji castris concesserit.

luerit atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

Milt. III, 5. *Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum.*

Hamilc. II, 3. *Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut etiam auxilia a Romanis petierint eaque impetrarint.*

Cfr. Milt. V, 5; Them. I, 1; X, 1; Arist. I, 2; Dion. V, 3; IX, 4; Hannib. IV, 3.

In iis, quae subsequuntur, exemplis, in apodosi imperfectum tempus scriptor adhibuit.

Attic. XX, 4. Neque vero a M. Antonio minus absens litteris colebatur, adeo, ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret, curae sibi haberet certiorem facere Atticum.

Alcib. IX, 3. — *quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet.*

Dion. II, 3. *Quem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se ei totum traderet.*

Cfr. Alcib. XI, 3; Eum. X, 4; XII, 1.

Adjungam ea exempla, in quibus particulae *sic — ut* sibi respondent.

Attic. I, 4. Quos consuetudine sua sic devinxit, ut nemo his perpetuo fuerit carior.

Attic. V, 1. — cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam

Iphicr. II, 4. *Quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quemadmodum Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Graecos in summa laude fuerint.*

senectutem retinuerit benevolentiam.

Attic. VI, 4. Multorum consulum praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum.

Attic. XVIII, 2. — et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere.

Attic. XVI, 4. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in his non appareat et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem.

Epam. III, 4. *Fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut judicari possit, omnia ei cum amicis fuisse communia.*

Epam. II, 2. — *cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit, sqq.*

Epam. VI, 4. *Quo cum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna.*

Lysand. I, 3. *Hac victoria Lysander elatus, cum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit, ut ejus opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenerint.*

Alcib. VI, 4. *Postquam astu venit, concione advocata, sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrimarit inimicumque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat.*

Hannib. I, 3. *Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animum, quam id deposuerit, qui quidem, cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret,*

nunquam destiterit animo bellare cum Romanis.

Imperfectum tempus in apodosi consequens videmus in his:

Attic. IV, 5. Quem diem sic universa civitas Athen. prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret [1]).

Attic. IV, 1. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur.

Attic. III, 1. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.

Cim. IV, 3. *Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat.*

Hannib. XII, 3. — *idque sic aedificavit, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, scilicet verens, ne usu veniret, quod accidit.*

Ages. III, 6. — *Sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.*

Ages. VII, 4. *Sic enim erat* [2]) *instructa, ut in nulla re differret a cujusvis inopis atque privati.*

Cfr. Alcib. XI, 4. 5; Dion. IV, 3; X, 2; Datam. X, 3; Hamilc. I, 2.

Sequantur jam ea exempla, in quibus *ita — ut* legitur.

Attic. II, 6. Nam universos frumento donavit, ita ut

Pelop. IV, 3. *Denique haec fuit altera persona Thebis, sed*

---

1) Unus codex Haenelianus praebet: *indicarit*, quod non omnino contemnendum est.

2) Male huic loco consuluit Rothius, qui eum sic scriberet: „Sic enim instructa, ut in nulla re differret cujusvis inopis atque privati.“ Non solet vitarum auctor verbum *esse* omittere in talibus. Cfr. Attic. XVI, 4; V, 1; Epam. III, 4, aliasque. Quare vulgata lectio, optimis et primis quidem editionibus vetustatis confirmata, retinenda est. Etiam *a* ante *cujusvis* mihi reponendum videtur, quod codd. Leidenses praebent.

singulis septem modii tritici darentur: qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur.

Attic. II, 3. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus.

Attic. XVII, 3. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.

Attic. VI, 1. In re publica ita est versatus, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret. —

tamen secunda ita, ut proxima esset Epaminondae.

Hamilc. I, 4. *Ille, etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviundum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus diutius calamitates belli ferre non posse intelligebat: sed ita, ut statim agitaret, si paulum modo res essent refectae, bellum renovare Romanosque armis persequi —.*

Tempore perfecto in enunciatione consequenti usus est scriptor in hisce:

Attic. II, 4. — atque ita, ut neque usuram unquam ab his acceperit, neque longius, quam dictum esset, debere passus sit.

Attic. XVIII, 5. 6. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit.

Hannib. II, 5. *Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus.*

Timol. IV, 1. *Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit.*

Miramur hoc *ita* — *ut* paulo rarius in vitis excellentium ducum legi, quam in Attico, qui tamen multo

illis brevior sit. Videtur autem sane scriptor tum, cum Atticum scriberet, singulari quodam studio illud *ita — ut* arripuisse, quod ter in uno eodemque capite (c. II.) legitur, ut facile evenit nobis quoque scribentibus, ut per tempus aliquod majori quodam amore certis quibusdam locutionibus utamur. Hoc etiam observandum est, subinde in vitis particulam *ut* solam, omisso demonstrativo adverbio *ita*, quod facile mente intelligatur, legi eodem fere sensu, quo illud *ita — ut*. Talia exempla haec sunt:

Attic. XVI, 2. Quanquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior.	Milt. VIII, 4. *Sed in Miltiade erat tum summa humanitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret.*
	Dion. I, 5. *Hunc a Dionysio missum Carthaginienses suspexerunt, ut neminem unquam Graeca lingua loquentem magis sint admirati.*
Attic. I, 3. Erat autem in puero, praeter docilitatem ingenii, summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret.	Alcib. I, 2. *Namque imperator fuit summus et mari et terra; disertus, ut imprimis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere.*

Enumerabo jam ea exempla, quae in protasi habent demonstrativa illa: *tantus*, *talis*, *is*.

Attic. XIV, 2. — tantaque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, parique fastigio steterit in utraque fortuna.	Cim. IV, 1. *Fuit enim tanta liberalitate, cum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quominus ejus rebus, quibus quisque vellet, uteretur.*

Attic. XII, 2. — cujus gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate gloriae, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis.

Attic. XIX, 3. Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.

Attic. IX, 4. Ipsi autem Fulviae, cum litibus destinaretur, magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit.

Ages. V, 2. — *tantum abfuit ab insolentia gloriae, ut commiseratus sit fortunam Graeciae, quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare potuisse* [1]).

Ages. II, 2. *Data potestate tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, quam regii satrapae eum scirent profectum.*

Ages. IV, 4. *Hac igitur mente Hellespontum copias trajecit, tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit XXX diebus.*

Iphicr. I, 2. — *semper consilio vicit, tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit partim meliora fecerit.*

Timoth. II, 2. *Quae victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut tum primum arae Paci publice sint factae, eique deae pulvinar sit institutum.*

---

1) Conferendus quoque locus est Cornelii Nepotis, quem Lactantius Instit. III, 5, 10 nobis servavit, miro modo ad structuram Agesilai loco similis: „Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitae philosophiam beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.“

Attic. XXI, 3. In hoc cum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumsisset, subito tanta vis morbi in imum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulae puris eruperint.

Cato III, 2. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum.

Dion. III, 3. *Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit valuitque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis.*

Timol. I, 3. — *tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit civium suorum libertatem fratris saluti et parere legibus quam imperare patriae satius duxerit.*

Phoc. III, 4. *In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire.*

Arist. III, 2. — *in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit.*

Hamilc. II, 1. *Namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi cum deleta sit.*

Hannib. II, 2. *Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Italiae.*

Hannib. V, 2. *Quo repentino objectu viso tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus.*

Cfr. Milt. V, 5; Con. IV, 1; Hamilc. I, 5.

In illis omnibus, quae proposui, exemplis, perfectum conjunctivi in apodosi regnat; afferam jam ea, quae imperfectum conjunctivi habent.

Attic. X, 2. — tanta varietas his temporibus fuit fortunae, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo.

Attic. IV, 1. Tanta autem suavitas erat sermonis, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse, non ascitum.

Attic. XV, 2. Idem in nitendo, quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere.

Attic. XXII, 1. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, cum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret —.

Alcib. V, 5. *Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent.*

Alcib. I, 2. — *quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere.*

Timol. III, 2. — *ex maximo bello tantum otium totae insulae conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur.*

Reg. I, 4. *Nam cum matris suae scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret.*

Timol. III, 4. *Cum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem haberet omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret: maluit se diligi quam metui.*

Eum. X, 2. *Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quam eum non perdere.*

Cfr. ad sensum Attic. XX, 5.

Eum. XII, 2. — *in quo esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto, nihil habituri negotii essent.*

Alcib. VI, 1. *His cum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium*

exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset.

Timoth. III, 2. — *quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari.*

Jam finiam hunc locum, si adjunxero pauca adhuc exempla, ubi ex aliis praeterea demonstrativis vocabulis similes structuras aptas fecit vitarum scriptor.

Iphicr. I, 1. *Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur.*

Milt. VI, 3. *Namque huic Miltiadi, quia Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos tributus est, in porticu, quae Ποικίλη vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima ejus imago poneretur isque hortaretur milites proeliumque committeret.*

Datam. VII, 3. *A qua re depulsus, cum ea manu, quam contraxerat, locum deligit talem, ut neque circuiretur ab hostibus, neque praeteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur —.*

Ages. VIII, 2. *Quod ei usu venit, cum — in Aegyptum isset et in acta cum suis accubuisset sine ullo tecto stratumque ha-*

Attic. IX, 4. P. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint.

beret tale, ut terra tecta esset stramentis —.

Ages. VI, 1. — *talem se imperatorem praebuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse.*

Dion. VII, 2. *Id ejusmodi erat, ut cum milites reconciliasset, amitteret optimates.*

Hamilc. IV, 3. *Namque Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire quam Romanos non experiri mallet.*

Milt. I, 1. — *eaque esset aetate, ut non jam solum de eo bene sperare, sed etiam cives confidere possent sui —.*

Alcib. V, 2. — *erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset —.*

Datam. V, 4. *Namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae —.*

Epam. VII, 1. — *duxque esset delectus belli imperitus, cujus errore eo esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent.*

Epam. VIII, 4. — *eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent —.*

Them. IV, 4. *Hoc eo valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur.*

Gellius N. A. VII, 18, 11 in loco, quem ex libro Cornelii exemplorum quinto retulit: — usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut taedium vitae ceperint necemque sibi consciverint.

Chabr. I, 3. *Hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est.*

Dion. IV, 5. *Is usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, — ut se de superiore parte aedium dejecerit atque ita interierit.*

Pelop. III, 1. *Id illi, vino epulisque dediti, usque eo* [1]) *despexerunt, ut ne quaerere quidem de tanta re laborarint.*

Quae omnia exempla, non pauca sane, id facile demonstrare poterunt, quam egregius talium dictionum scriptor vitarum amator fuerit. Sed demonstrabunt quoque illa exempla a nobis allata et in ordines quosdam redacta, non inconsulto ac temere scriptorem illis locutionibus usum esse, facileque refutabunt illorum hominum errorem, qui vitiosum temporum usum scriptori in talibus proprium esse clamant, scilicet conjunctivum perfecti temporis post *sic*, *ita*, *tantus* — *ut* et similia haud satis probantes. Taceam nunc aliorum scriptorum simillimum usum, Livii inprimis et Ciceronis; hoc tantum ab illis vitarum exagitatoribus petam, quod me impetrasse fortasse haud injustum erit, ut bene observent, quam accurato discrimine auctor vitarum inter perfecti et imperfecti conjunctivi usum distinxerit. Namque imperfecto conjunctivi actionem aliquam describere solet, quasi illo tempore, ad quod pertinet, durantem; perfecto conjunctivi scriptor utitur ad

---

1) Injuria Rothius hoc loco *eo* extrusit, quod tamen et in antiquissimis editionibus et in bonis libris manu scriptis inest. Simplex *usque* nullo praeterea loco ita in vitis positum legimus, ut hoc loco esset positum, si Rothio obsequeremur.

judicium aliquod ex sua mente suaque ipsius sententia proferendum, quod debet praesenti quadam notione exprimi, qualem conjunctivo perfecti temporis inesse scimus. Imperfectum conjunctivi in illis dictionibus relativum sensum habet ad rem, perfectum conjunctivi nulla habita alterius actionis ratione ad solum scribentis judicium spectat. Illud vero negari nequit, scriptorem saepius in illis uti perfecto conjunctivi quam imperfecto; nec illud obscurum est, usum scribendi in Attico Catoneque haud alium esse. Molestum est numerare utriusque usus exempla, quod tamen feci, quum quidem in vitis excellentium ducum perfectum aut praesens conjunctivi fere ter et quadragies, imperfectum undetricies positum legerem. In Attico Catoneque perfectum aut praes. conjunctiv. duodevicies, imperfectum conjunctivi terdecies inveni [1]). Ex quibus numeris facile apparet, eandem esse quum in Attico tum in ceteris vitis utriusque usus rationem; illud quoque elucet, in Attico majus omnino talium dictionum scriptoris studium fuisse.

Nec illud praetermittendum putavi, certissimo quodam verborum usu scriptorem modo *ita*, modo *sic*, modo *adeo* et, quod paene idem est, *usque eo* in vitis posuisse, eodemque modo talium dictionum variatus usus in omnibus vitis apparet, non minus in Attico Catoneque, quam in ceteris vitis. Quorum verborum discrimina sentire difficile est, difficilius etiam exprimere ea verbis. Quae

---

1) De horum temporum apud Cornelium Nepotem usu non pauca exposuit *Fr. Haasius* in libro optimo: *Professor K. Reisig's Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, herausgegeben von Fr. Haase,* in adnott. 479 et 480. Quodsi mea numeratio cum ea non satis consentit, quam ille fecit, inde factum, quod usum perfecti conjunctivi post *factum est, accidit* ponendi huc non retuli, quae tamen dictiones longe plurimis locis conjunctivum imperfecti secum habent. Viro docto concedere non possum, quod in hoc usu aliquid singulare idque vitiosum ceterarum vitarum auctori tribuit, quod tamen ab Attici scriptore abesse vult. Nec video, cur vir d. putet a natura usus remotum esse, ut conjunctivus perfecti passivi consequatur. Nam Arist. 1, 2 *appellatus sit*, revera perfectum est, haud praesens aliquod. Cfr. Timoth. II, 2; Liv. XXX, 38. De singulis hoc l. disputare longum est.

Grysarius (Theorie des lateinischen Styls) de his voculis exposuit, ut ingenue fatear, non satis intellexi, nec mihi satis distincte discrimina sua fecisse videtur; *Ferdinandi Handii* Tursellinum ad manum non habeo; proponam igitur, quid egomet ipse de illarum vocularum discrimine sentiam, qualecunque id est. *Sic* adverbium eandem mihi demonstrandi vim habere videtur, ac pronomen *hic*, a quo ducendum puto; *s* factum est ex *h;* utraque enim littera est cognatissima, ut in multis aliis vocibus; *ita* ab *is*, *ea*, *id* devenit, itaque paulo lenius est, quam *sic.* Ex nostra igitur explicatione *sic* fere est: *hac ratione*, *hoc modo;* *ita* est *ea ratione*, *eo modo.* *Sic — ut* eodem modo sibi respondent, quo *hic — qui; ita — ut* ejusdem rationis sunt atque *is — qui.* *Sic* non sine vi quadam demonstrationis intendit cogitationem vel ad id, quod sequitur vel antecedit; *ita — ut* saepe est pro *tali modo — ut.* *Sic* quasi ante oculos ponit, *ita* ad cogitationem revocat. Nostram explicationem veram esse, hoc quoque comprobat, quod, quomodo *hic — ille* sibi opponuntur, non *is — ille*, eadem ratione *sic — illo modo* sibi opponenda erunt, non *ita — illò modo.* Ita Cicero de divin. dixit: „Sive sic est sive illo modo.“ Ut vero *is* et *hic* simillimo sensu sunt, ita etiam *sic* et *ita;* nec raro ex scriptoris arbitrio seu, ut melius dicam, ex singulari ejus cogitandi ratione pendet, utro verbo uti malit. Ita vitarum scriptorem eandem rem uno loco per *ita — ut*, altero per *sic — ut* expressisse videmus. Hannib. I, 3 sic scriptum legitur: „Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam, quam id deposuerit“ Eodem Hannib. II, 5 est: „Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus“ *Adeo* et *usque eo* paulo fortiora esse, maxime eum gradum significantia, quo res progressa sit, facile intelligitur. *Usque eo* Cicero quoque saepius posuit, et item *usque adeo.*

Haec omnia, quamvis remotiora fortasse a nostro consilio videantur cuipiam, hoc loco propterea disputavi,

ut quam accuratissime non sine certissimo verborum discrimine scriptorem vitarum locutum esse appareat, simulque, ut bene cernatur, easdem loquendi formulas pari discrimine in utrisque vitis, quum in Attico Catoneque, tum in ceteris inveniri.

Exspectaverit hoc loco quispiam, ut de periodis et totis verborum orbibus, quomodo scriptor conformaverit in vitis, accuratius exponam. Attamen de hac re haud sane longi esse volumus; multa enim, quae huc pertinent, in iis ipsis jam insunt, quae in superioribus de structuris verborum quibusdam singularibus commemoravimus. Nam pendet omnino ex certis vel copulandarum enunciationum formulis vel constructionum quarundam studio totarum quoque periodorum conformatio. Est vero haec ipsa res etiam ejusmodi, ut vix satis in singulis possit demonstrari, magisque in universum queat indicari, id quod priori fecimus tempore in Quaestionibus nostris criticis de vero auctore vitarum p. 101 sqq. Nunc vero unum addere placet, quod in vitis observavimus, scriptorem non raro brevissimis uti verborum ambitibus, plerumque *ἀσυνδέτως*, quod dicunt, inter se conjunctis, tum quidem maxime quum simplicius sequitur narrandi genus, vel ubi non explanat longius singulas res, sed rerum tantum summas breviter indicans compendiariam adhibet dicendi rationem. Ex quibus pauca afferam exempla; nam vix puto scriptorem alium esse, qui in talibus tam brevibus utatur enunciationum membris, vel qui ita *ἀσυνδέτως* conjungere soleat. Nec minus in vitis excellentium ducum, quam in Attico Catoneque tam concinnae brevitatis exempla exstant. Immo tota Catonis vita hoc orationis genere conscripta est.

Attic. VI, 3. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes neque manceps factus est. Neminem neque suo nomine neque subscribens accusavit. In jus de

Datam. VI. *Sed haec propter hyemale tempus minus prospere procedebant. Audit, Pisidas quasdam copias adversus se parare. Filium eo Arsideum cum exercitu mittit. Cadit in*

sua re nunquam iit; judicium nullum habuit.

Attic. VII, 1. Incidit Caesarianum bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. Usus est aetatis vacatione, neque se quoquam movit ex urbe. Quae amicis suis opus fuerant ad Pompejum proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit; ipsum Pompejum conjunctum non offendit.

Cato III. In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et rei p. peritus jurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. — Ab adolescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri VII. Primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum est primum, in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non

proelio adolescens. Proficiscitur eo pater non ita cum magna manu, celans, quantum vulnus accepisset; —. Erat cum eo Metrobarzanes, socer ejus, praefectus equitum. Is, desperatis generi rebus, ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum, ut ceteri consilium sequerentur. In vulgus edit suo jussu Metrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus interficeret hostes. Quare relinqui eum par non esse, et omnes confestim sequi. — Hac re probata, exercitum educit, Metrobarzanem persequitur tantum: qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jussit. — Primum eos adoriuntur. Illi, cum quid ageretur aut quare fieret ignorarent, coacti sunt cum iis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant. Quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit: primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit.

Hannib. III. *Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est: cujus post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni-*

nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina.

um praefuit. Hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum publice comprobatum est. Sic Hannibal minor V et XX annis natus imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit. Quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit; neminem, nisi victum, dimisit.

In universum hic addendum est id, vix ullum esse scriptorem, qui suos verborum orbes, quas periodos vulgo dicunt, tam simplices, tam perspicuos, tam accuratos et quasi rotundos composuerit, quam vitarum finxit auctor; nihil vero magis eorum contrarium est sententiae, qui vitas seriori aetati adtribuunt, quam illa, quam dixi, periodorum in vitis conformatio. Longissime enim abest ab omni tumore, qualem serius aevum adamat; immo ne optimae quidem aetatis ullus scriptor reperietur, qui simplicitate, perspicuitate et fluente quasi verborum tenore nostrarum vitarum auctori sit praeferendus. Nec ullus est, qui tam breves fecerit non raro verborum ambitus, ita ut vix tribus vel quatuor verbis constent. Cujus rei ne in Attico quidem exempla desunt [1]), quamvis certissi-

1) Cfr. Attic. II, 1: *Pater mature decessit.* II, 5: *Quod utrumque erat his salutare.* V, 1: *Quo facto tulit pietatis fructum.* IX, 1: *Secutum est bellum gestum apud Mutinam.* X, 1: *Conversa subito*

mum sit satisque appareat, in Attico scriptorem non sine affectatione quadam elegantiam quandam captavisse; volebat enim, debebatque sane amicissimi viri, nec rebus gestis nec forti animo satis clari, tamen elegantia vitae et animi sinceritate conspicui, vitam omni modo ornare; quod quo minus rebus ipsis declarandis procedebat, nam non sane multae sunt, eo magis in verborum splendore auxilium quaesivisse putandus est scriptor. Quo fit, ut Beneckii judicium de Attici vita ab una parte haud omnino damnaverim, quamvis paulo durius sit minimeque sensisse videatur ille vir, qua de causa Attici vita paulo aliter conscripta sit ac ceterae. Beneckius enim in praef. p. 13, ubi de auctore vitarum disserit, ita: „De vita Catonis propter abruptam brevitatem nihil statuo. Mirum est autem quomodo Heldius vitam Attici eidem cum ceteris vitis auctori tribuere potuerit, cum genus dicendi, quamquam quandam habet similitudinem ab eadem magis aetate, quam ab eodem auctore profectam, tamen ab ceteris vitis longe diversum est. Oratio latitudine quadam laborat et aequaliter ac sine ulla varietate progrediens omni caret vigore. Ceterarum vitarum auctoris lineamentis nec pigmentorum vis nec flos nec color deest; in Attici vita languidam et fucatam imaginem expressam videmus.“ Verum sensit Beneckius; paulo languidior mihi quoque vita Attici quam ceterae ad legendum videtur; sed causa maxime in rebus est; apparet enim, non sine labore aliquo scriptorem omnia conquisivisse, quae facerent ad Atticum ornandum nec in ea re abstinuisse ab amplificandis iis rebus, quae paulo sunt exiliores. Quo factum est, ut periodi in Attico non raro sint longiores; quamquam etiam in ceteris vitis, ubi explanatius scribit, verborum ambitus aeque reperiuntur longi. Omnino autem bene distinguendum est in omnibus vitis inter duo diversa narrandi genera, quorum alterum compendiarium adhibuit scriptor,

---

fortuna est. Sic saepius in Attico et Catone; exempla ex ceteris vitis afferre longum et non necessarium est, legenti enim unaquaque pagina occurrunt.

ubi breviter stringit rerum summas, alterum longius, ubi accuratius narrat. Prius illud regnat in Catone, in compendio de Regibus conscripto, Hannibalis initio aliisque saepe locis; alterum deprehenditur maxime in Attico, in Datame, in Eumene aliisque. Neu tamen ex hac duplici scribendi ratione argumentum repetatur, compendium factum esse vitarum a nescio quo Probo, modo in brevius contrahente vitas, modo magis in ipsis auctoris verbis persistente, illud bene tenendum est, scriptorem ipsum duplex tale scribendi genus saepius professum esse; qua de re in fine dissertationis istis, qui ita de vitis sentiunt, accuratius etiam respondendum est. Haec de periodis, quales in vitis sint, tetigisse sufficiat et de ea diversitate, quae inter Attici vitam et ceteras intercedit. Quae tamen diversitas non talis est, ut diversum quoque auctorem prodat (nam non nisi in rerum narratarum discrepantia quadam est), immo quanta locutionum, structurarum, periodorum et aliarum vel minimarum rerum inter omnes vitas intercedat similitudo et satis jam demonstrasse et accuratius etiam demonstraturi esse nobis videmur. Nec inepte hoc loco de verborum ordine, quali in vitis utatur scriptor, pauca addiderim, quamvis de singulis disputare haud libeat. Id in universum contenderim, quod vix puto quemquam refutare posse, longissime verborum ordinem in vitis abesse a seriorum scriptorum more inversa quadam et quaesita magis verborum ordinatione utendi, qua poeticum affectent decorem, in pedestri oratione satis vituperabilem. In vitis autem ordo verborum, quamvis rectissimus et elegantissimus, tamen simplicissimus et minime contortus, omnino ad optimi aevi rationem compositus, qualem in Caesare et in Cicerone observaveris. Jam paulo declinat Livius ab illo bonorum auctorum simpliciore ponendorum verborum ordine. Nec id omittendum est, in Attico et Catone eundem esse verborum ordinem ac in ceteris vitis. Ne hac quidem in re parum momenti est ad vitarum aevum, quo scriptae sint, indagandum quod et ipsum bene animadvertit Jahnius in diario suo, *Neue Jahrbb. für Philologie u. Pädagogik*, ann 1840, p. 464.

Haec fere habui ad demonstrandam eam rationem, qua singulares quasdam verborum structuras sive in connectendis singulis enunciationibus sive in componendis scriptor in utrisque vitis cum Attici Catonisque tum excellentium ducum singulari quodam studio adhibuit. Ad quae pauca addideram de periodis et de verborum ordine. Sed non solum similes structurae sunt, quae unum eundemque utrarumque vitarum scriptorem esse coarguant, multa quoque cogitata in excellentium ducum vitis inveneris, quae simillimo modo in Attico Catoneque prolata leguntur. Quae quidem talia sunt, ut unum omnium vitarum auctorem esse haud parum possint probare. Jam videamus singula.

Simillime, ita ut iisdem subinde utatur verbis, et Dionis et Attici bona a natura data praedicat scriptor.

Attic. I, 3. Erat autem in puero praeter docilitatem ingenii suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret.

Dion. I, 1. *Dion autem praeter nobilem propinquitatem generosamque majorum famam multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur, sqq.*

Similis quoque legitur descriptio Alcibiadis c. I, ita ut in talibus eundem scriptorem facile agnoscas. Ponamus jam exempla de eo, quid de humanitate scriptor judicare soleat.

Attic. V, 1. Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem R., familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura: cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam.

Epam. II, 2. *At philosophiae praeceptorem habuit Lysiam Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit, neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis tanto*

Attic. VI, 1. Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Syllae fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum aequalibus autem suis Q. Hortensio et M. Cicerone sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus.

antecessit condiscipulos [1]), *ut facile intelligi possit, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.*

De his locis, quam mira sint similitudine, multa disputare possemus, si longi vellemus esse. Nam non minus sensu quam forma sunt inter se simillimi. Alia afferam et quidem jam ea, quae de frugalitate et veterum retinendorum morum laude praedicet scriptor.

Attic. XIII, 2. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilianam, ab avunculo hereditate relictam: cujus amoenitas non aedificio, sed silva constabat. Ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis quam sumtus habebat: in quo nihil mutavit, nisi quid vetustate coactus est.

Et paulo inferius: Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec praeteribo, quan-

Ages. VII, 3. 4. *Atque in hoc illud inprimis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus ac dynastis civitatibusque conferrentur, quod nihil unquam domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor majorum suorum fuerat usus, quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat; contra ea plurima patientiae atque abstinentiae. Sic enim erat instructa, ut in*

---

1) Non possum non hic apponere alium ad comparandum locum, Attic. I, 3: „Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli aequo animo ferre possent. Itaque omnes incitabat studio suo."

quam nonnullis leve visum iri putem: cum inprimis lautus esset eques R., et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus, non amplius quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum.

nulla re differret a cujusvis inopis atque privati.

Ages. VIII, 4. *Qui cum regis verbis, quae attulerant, dedissent, ille praeter vitulinam et ejusmodi genera obsonii, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coronas secundamque mensam servis dispertiit; cetera referri jussit.*

Multi praeterea loci sunt, ubi scriptor vitarum quamvis minus disertis verbis, tamen non tam obscure praedicet abstinentiam et frugalitatem, vituperet luxuriam. Cfr. Phoc. I, 2; Arist. III, 2; Paus. III, 2. 3.

Simillimi quoque inter se loci exstant, qui probent, quid scriptor vitarum de mendacio et de promissis praestandis senserit.

Attic. XV, 1. Mendacium neque dicebat neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate; ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri, quod praestare non posset. Idem in nitendo, quod semel an-

Epam. III, 1. *Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur.*

Thrasyb. III, 3. *Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam cum quidam ex his, qui simul cum eo in exilio fuerant*[1]*), caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum*

---

1) Rothius cur in editione sua *fuerunt* curaverit edendum, haud video, nisi forte quis etiam vitia optimorum codd. retinenda esse putabit. Pauciores libri, inter quos duo sunt optimi, illud *fuerunt*, sed longe plurimi id, quod recta scribendi ratio postulat, *fuerant* praebent.

nuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere.

erat publice, prohibuit et id quod pollicitus erat praestitit.

Similia videmus de grato animo praedicare scriptorem et in Attico et in Eumene.

Attic. XI, 5. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat.

Attic. XI, 5. — maximum existimans quaestum, memorem gratumque cognosci —.

Eum. VI, 5. *His rebus Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.*

Eodem modo varii loci testantur, quanti vitarum auctor eam virtutem fecerit, quae cernitur in pacis amore et in aliorum injuriis aequo animo perferendis.

Attic. XI, 1. Sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit: quod neque laedebat quemquam neque, si quam injuriam acceperat, non malebat oblivisci quam ulcisci.

Attic. VI, 3. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. Neminem, neque suo nomine neque subscribens accusavit. In jus de sua re nunquam iit; judicium nullum habuit.

Epam. VII, 1. *Fuisse patientem suorumque injurias ferentem civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret, haec sunt testimonia.*

Id. III, 2. *Idem continens, clemens patiensque admirandum in modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias.*

Cfr. Ages. V, 3. 4; Eum. IV, 4; Timol. V, 1.

Iphicr. III, 3. *Vixit ad senectutem placatis in se suorum civium animis. Causam capitis semel dixit, bello sociali, simulque cum Timotheo, eoque judicio est absolutus.*

Nec minoris vitarum scriptorem eam virtutem fecisse legimus, quae in contento quodam et in remoto a nimia honorum cupiditate animo sit. Cujus rei haec exempla sunt:

Attic. III, 2. Quam diu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit.

Thras. IV, 3. *Illa igitur corona (oleagina) contentus Thrasybulus neque amplius requisivit, neque quemquam honore se antecessisse existimavit.*
Cfr. Milt. VI, 1.

De corruptis civitatum moribus saepe queritur auctor vitarum non minus in Attico Catoneque, quam in ceteris vitis.

Attic. VI, 2. Honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam vel dignitatem: quod neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e re publ. sine periculo, corruptis civitatis moribus.

Cato II, 3. — quod tum non potentia, sed jure res publ. administrabatur.

Milt. VI, 2. *Ut enim populi R. honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus.* Cfr. ibid. §. 4: *Idem ille populus, postea quam majus imperium est nactus et largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalareo decrevit.*

Thrasyb. II, 4. *Nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant.*

Liberalitatem ponit scriptor cum in Attici tum in aliorum virtutibus.

Attic. II, 6. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis septem modii tritici darentur; qui modus

Cim. IV, 1. *Fuit enim tanta liberalitate, cum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut nunquam in iis custodem imposuerit fructus servandi*

mensurae medimnus Athenis appellatur.

Cfr. Attic. VIII, 5; IX, 4. 5; XI, 3. 5; XIII, 6.

gratia, nequis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Cfr. sqq.

Cfr. Con. IV, 5.

Simillimo modo describitur desiderium Atheniensium et illud, quod ex Cimonis morte, et hoc, quod ex Attici Athenis demigratione ceperant.

Attic. IV, 5. Tranquillitatis autem rebus Romanis remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato consulibus: quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret.

Cim. IV, 1. *Hunc Athenienses non solum in bello, sed etiam in pace diu desideraverunt.*

Et in fin. capitis: *Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura et mors acerba.*

Id quoque proprium est judicandi scriptoris rationi, ut fortunae et mobilitatem et singularem in rebus humanis vim saepe attigerit.

Attic. X, 1. Conversa subito fortuna est.

Et paulo inferius: tanta varietas his temporibus fuit fortunae, ut modo hi modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo.

Thrasyb. I, 4. *Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque hic plus valuisse quam ducis prudentiam vere potest praedicare.*

Timoth. IV, 3. *In quo fortunae varietas est animadversa.*

Dion. VI, 1. *Has tam prosperas tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio, quod fortuna sua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. Primum in filio, de quo commemoravi supra, suam vim exercuit.*

Multos praeterea legimus locos, ubi fortunae commemoratio fit tum in Attico tum in ceteris vitis, quos Bardilius exhibet in indice verbor. ad Corn. Nep. s. v. *fortuna.*

Afferam jam eos locos, quibus scriptor libros ab aliis scriptos enumerat, quod saepe quum in Attico et Catone tum in ceteris vitis paene iisdem verbis fecit.

Attic. XVIII, 6. Est etiam unus liber, Graece confectus, de consulatu Ciceronis.

Cato III, 3. Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri VII.

Hannib. XIII, 2. *Namque aliquot ejus libri sunt, Graeco sermone confecti; in his ad Rhodios de Cn. Manlii Volonis in Asia rebus gestis.*

Dion. III, 2. *Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis Graecis conscriptus est.*

Sequantur alia exempla similia, quibus singulari quodam modo scriptor de suo instituto vel brevius vel longius scribendi deque libris a se scriptis commemorat, et quidem ita, ut singularibus quibusdam verbis inprimis utatur, cujus rei in Attico et Catone tam similia cum ceteris vitis exempla exstant, ut haec a diversis auctoribus scripta esse credi minime possint.

Cato III, 5. Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

Praefat. ad Attic. 8. *Sed hic plura persequi magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro de vita excellentium imperatorum.*

Hi loci quam miro modo consimiles sibi sunt et sententia et structura et singulis verbis! Sed jam alia ponam exempla.

Attic. XIX, 1. Hactenus Attico vivo edita a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos super-

stites ei esse voluit, reliqua persequemur, et, quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.

Cato III. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliqua bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent et viderentur admiranda.

Hunc locum Catonis qui cum insequenti loco Attici aliisque excell. ducum locis comparabit, ei facile apparebit, et Attici et Catonis et ceterorum ducum eundem auctorem esse.

Attic. XVIII. — quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi R., quae non in eo suo tempore sit notata; et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc

Datam. I, 2. *De quo hoc plura referemus, quod et obscuriora sunt ejus gesta pleraque et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilio, quo tum omnes superabat, acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.*

Hannib. XIII, 4. *Sed nos tempus est hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores, quo facilius, collatis*

idem separatim in aliis libris: ut M. Bruti rogatu Juniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit, notans, qui a quoque ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset; pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum. Quibus libris nihil potest esse dulcius his, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. Attigit quoque poeticam: credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Roman. populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari.

utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit judicari.

Reg. I, 1. *Namque eos attingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae. Neque tamen hi admodum sunt multi.*

Epam. IV, 6. *Plurima quidem proferre possemus; sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus, quorum separatim complures scriptores ante nos explicarunt.*

Permulta sunt in his locis miro modo sibi similia. Singula pauca tangam, totam verborum compositionem lectoribus dijudicandam relinquam. *Plura persecuti sumus* in Cat. III; *plura persequi* in Praefat.; *reliqua persequemur* in Attic. XIX, nec non in Cat. III: *reliqua bella persecutus est.* In Attic. XI similiter est: *omnia persequi.* Cat. III est: *rogatu T. Pomp. Attici;* Attic. XVIII: *M. Bruti rogatu;* Cat. III: *res notavit;* Attic. XVIII: *sit notata* et *notans.* *Quare* in Cat. III et in

Praef. *Separatim* compluries. *Attingere noluimus* Reg. I, *attigit poeticam* in Attic. XVIII. *Exposuit* in Cat. III et in Attic. XVIII. *Plura referemus* in Dat. I; Reg. I: *separatim sunt relatae.* Pertinet huc quoque locus in praef. 1: *quum relatum legent.* In praefatione: *explicem,* in Epamin. IV: *explicarunt.* Quae omnia cur tam multis disputo? Ut appareat, habuisse vitarum scriptorem certa quaedam vocabula in usu, quibus libros aut suos aut aliorum et commemoraret et describeret. Quae vocabula quamvis frequentissima sint in his vitis, quas superstites habemus, tamen frequentiora etiam fuisse suspicor in illis libris deperditis, quos de historicis et Graecis et Romanis Cornelius Nepos conscripserat. Nam in illis multorum libri laudandi erant. Huc addo duos locos ab illis, quos modo protuli, argumento non multum distantes; nam de rebus memoriae proditis judicium proferunt, ita vero inter se similiter, ut similius scribi non potuerint. Hi sunt:

Attic. XVI, 3. Ei rei sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, undecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quae qui legat, non multum desideret[1]) historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de

Eum. VIII, 2. *Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata tum gloria tum etiam potentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia perdant neque minus eos, cum quibus ste-*

---

1) *Desideret,* quae vulgata lectio est, vetustae jam duae editiones, Corneriana et Savaroniana, quatuorque bonae notae libri scripti exhibent. Duo tamen novissimi editores, Rothius et Beneckius, ad alios codd., nec paucos nec malos, *desiderat* recipere maluerunt. Qui si libris illis quatuor manu scriptis fidem denegant, moveri sese simillimo Eumenis loco sinant, ut conjunctivum admittant, quem grammatica etiam talium enunciatorum ratio suadet.

studiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei p. perscripta sunt, ut nihil in his non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem.

terint, quam adversus quos fecerint. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam nisi tempus interesse judicet.

Affero paucos praeterea locos, quibus scriptor similes cogitationes simillimis expressit verbis.

Attic. XII, 1. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adolescenti Caesari, cum propter suam gratiam et Caesaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum ejus diligeret affinitatem praeoptaretque equitis R. filiam generosarum nuptiis.

Con. II, 1. *Itaque contulit se ad Pharnabazum, satrapem regis Joniae et Lydiae eundemque generum regis et propinquum: apud quem ut multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis.*

Huc addam alia exempla:

Cat. I, 2. Inde ut rediit, castra secutus est P. Claudii Neronis, magnique opera ejus existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis.

Datam. I, 4. *Namque hic, multis milibus regiorum*[1]) *interfectis, magni ejus fuit opera.*

Con. I, 1. *Conon, Atheniensis, Peloponnesio bello accessit ad rem publ. in eoque ejus opera*[2]) *magni fuit.*

---

1) Varie fluctuant hoc loco libri. Alii omittunt *regiorum*, alii retinent; alii *militibus*, alii *millibus* praebent. Equidem mendum inesse puto in voce *regiorum*, quod mutaverim in *Gadusiorum*, quod nomen proprium, ut multa talia in codd., male scriptum quum alii legere non possent, omiserunt, alii falso interpretantes *regiorum* fecerunt.

2) Perverse *Rothius* ad codices, non malos quidem, tamen errorem apertissimum servantes, edidit *opere*, qua pessima scriptura usus

Alcib. IV, 7. *Ejusdem opera Joniam a societate averterunt Atheniensium.*
Cfr. Epam. V, 3; Cim. IV, 3; Dat. II, 1: *„hujus opera hostes profligati sunt“.*

Observandum quoque videtur, singularibus quibusdam verbis mortem virorum clarorum a vitarum auctore describi solere, ex quibus verbis celeberrimum est illud *decessit.* Ponam exempla.

Attic. II, 1. Pater mature decessit.
Attic. XXII, 3. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto postquam id consilium inierat pridie K. Aprilis Cn. Domitio C. Sosio consulibus decessit.

Arist. III, 3. 4. — *in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiae ejus publice alerentur, et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.*
Reg. II, 3. — *major enim annos LX natus decessit florente regno.*
Ages. I, 3. *Primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset.*
Id. VIII, 6. — *in morbum implicitus decessit.*
Cim. I, 1. *Nam cum pater ejus litem aestimatam populo solvere*

---

est *Rinckius* in prolegg. p. CLV ad vitas calumniandas, quo facilius ad aevum Theodosianum detrudere posset. Hoc exemplum sit, quam injuste *Rinckius* omnia corraserit ad vitas excell. ducum accusandas, ne apertissimis quidem hac in re codicum erroribus abstinens, immo data opera eos inhians.

non potuisset, ob eamque causam in vinclis publicis decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur, sqq.

Sed habet etiam scriptor ad eandem significandam rem alia in usu vocabula, qualia illa sunt: *diem obiit supremum* (Milt. VII, 6; Alcib. X, 6; Timol. V, 4; Reg. I, 2), *diem obiit* (Dion. X, 3), *mortuus est* (Them. X, Cim. III), *animam efflavit* (Paus. V), *exanimatus est* (Epam. IX, 4), *talem habuit exitum vitae* (Eum. XIII, 1), *naturae debitum reddiderunt* (Reg. I, 5), *acquievit* (Hannib. XIII, 1). De morte violenta illa usurpare solet: *occisus est*, *interfectus est*, *periit*, *interiit*, *ferro interemptus est*, *cecidit* aliaque. Quas quidem dictiones omnes non sine certissimo discrimine ad singulos quosque aptissime locos adhibuit scriptor, sed nihil frequentius apud eum est, quam illud *decessit.*

Alia quoque sunt sibi omnino similia, quae vix omnia in certa genera redegeris, nec puto me omnia complecti et exponere potuisse. Jam in mentem veniunt illa: *vere praedicare*, *vere contendere*, et similes tales dictiones.

Attic. XII, 4. Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, — expedivit.

Attic. XVIII, 1. — cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae —.

Thrasyb. I, 4. *Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque hic plus valuisse quam ducis prudentiam vere potest praedicare.*

Ad rerum similitudinem illud quoque recte retuleris, non sane levissimum, quod nunc demum recte mihi perspexisse videor (nam prius aliter explicabam), quod scriptor singulari studio verborum lusus et paronomasias

quaesisse videtur. Nec solum in vitis excellentium ducum hujus rei eximia exstant exempla, sed inveniuntur etiam frequentia satis in Attico; quin unum quoque idque satis egregium in fragmento quodam Cornelii Nepotis exstat [1]).

Attic. VIII, 4. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est.

Attic. XI, 5. — malebat oblivisci, quam ulcisci.

Attic. V, 4. — efficiebat, ut, inter quos tanta laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio.

Attic. XX, 5. — inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed etiam obtrectatio tanta intercedebat.

Attic. X, 5. — sed conjunctim; ut appareret nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam.

Attic. III, 2. — auctorem actoremque habebant.

Attic. XIII, 4. — quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae.

Attic. XX, 5. — non solum urbis Romae, sed orbis terrarum.

Cim. I, 2. — *non magis amore, quam more ductus.*

Cim. II, 4. — *bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit.*

Alcib. III, 5. — *quod et obesse plurimum et prodesse poterat.*

Alcib. III, 3. — *Hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum, — magnus multitudini timor est injectus.*

Con. II, 1. — *ut multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis.*

Dion. III, 2. — *hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannis.*

Alcib. I, 3. — *splendidus non minus in vita, quam in victu.*

Ages. VI, 1. — *quo ne proficisceretur, quum a plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit.*

---

1) Quis igitur non jure miretur Rinckium, qui in prolegg. p. VI id ipsum, quod auctor in verbis ludere soleat, ut documentum serioris aetatis notaverit, minime intelligens, in Attico idem conspici scriptoris studium.

Lactantius Institt. III, 15, 10 ex Cornel. Nepote: „Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitae philosophiam beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.

Tales verborum lusus apud alios quoque scriptores, comicos inprimis, inveniuntur; attamen ex historicis vix ullum praeter vitarum scriptorem ejusmodi paronomasias ita captasse certum est. Bene hic scriptoris mos tenendus, si recte volueris omnia interpretari. Quare non erat, cur Rinckius negaret locum Agesilai (VI, 1) omnino sensu carere; ludit scriptor in verbis *exeundi* et *exitus*. *Exitum* de eventu, *exire* de Agesilai ex urbe profectione intelligit.

Accedo nunc ad eam vitarum omnium similitudinem demonstrandam, quae non in compositione enunciatorum vel in cogitationum cognatione quadam inest, sed in singulis rebus grammaticis partim ad formam partim ad syntaxin, quam vocant, spectantibus cernitur. Ex quibus non pauca sane miranda et singularia vitae praebent, et, quod ad nostram causam inprimis facit, eadem in Attici Catonisque vitis atque in ceteris deprehenduntur.

Jam vero de eo, quid in formis vocabulorum vitae habeant singulare sibique quasi proprium, nobis exponendum est. Nondum ab hominibus doctis observatum esse video, in vitis contractas ubique formas inveniri, si modo contractio fieri potuerit. Quae observatio non parum ad textum vitarum recte emendandum et bene constituendum

valere debebit. Jam omnes apponam locos, ubi contractas inveni formas.

Praefat. 1, *cantasse;* Milt. I, 1, *judicarunt;* II, 5, *demigrarunt;* III, 4, *transportarat*, *interisset;* IV, 1, *redisset*, *expugnassent;* V, 5, *profligarint;* VI, 3, *liberarat;* VIII, 3, *habitarat;* Themist. X, 3, *donarat;* Paus. IV, 1, *redisset;* Lysand. I, 5, *confirmarat;* IV, 2, 3, *probasset*, *accusarat*, *redisset;* Alc. V, 6, *expugnarant;* VI, 4, *lacrumarit*, *damnasset;* IX, 2, *apportarat;* X, 6, *consuerat;* XI, 2, *praedicarunt;* Thrasyb. III, 2, *appellarunt;* Con. IV, 1, *judicarit;* Dion. IX, 4, *intrarant;* X, 2, *vocitarant;* Chabr. III, 1, *redisset*, *denunciarunt;* Datam. III, 1, *consuerant;* Pelop. III, 1, 3, *laborarint*, *liberarunt;* V, 5, *donarunt;* Eum. XIII, 3, 4, *praedicarant*, *curarunt;* Alcib. III, 5, *prodisset;* IV, 2, *exisset;* Timoth. III, 1, *desisset;* Datam. VI, 3, *exisset;* Epam. IX, 2, *profligarunt;* X, 3, *occuparunt;* Agesil. II, 5, *consuessent;* Eum. III, 4, *cognossent;* IX, 2, *transisse;* Hamilc. II, 1, 2, 3, *sperarat*, *abalienarunt*, *impetrarint;* Hannib. I, 1, *superarit;* II, 6, *celaris;* VI, 1, *fugarat;* VII, 4, *revocarunt;* VII, 7, *publicarunt;* XI, 5, *concitarunt;* XII, 3, *aedificarat.*

Ad quas formas adjungam eas, quas in Attico et Catone inveni contractas.

Attic. V, 3, *conciliarat;* X, 1, *putarat;* X, 3, *cognorat;* X, 4, *requisisset;* XII, 3, *recuperasse;* XVII, 1, *redisse;* XIX, 3, *conciliarit;* XIX, 4, *collocarat;* XXI, 1, *complesset;* XXI, 2, *putarunt;* Cat. III, 3, *appellasse.* Quid, quod in fragmento quoque Corneliano, in epistola Corneliae Gracchorum matris, eandem contractarum formarum scripturam invenimus: *necarunt*, *sirit.* Nec minus in alio fragmento Cornelii p. I. cod. Guelph. orationum Ciceronianarum formam contractam detexisse mihi videor. Ibi enim est sic: *quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a majoribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformavit oratione.* Heusingerus, rectissime sentiens indicativum hoc loco aperte fal-

sum esse, emendavit: *conformaverit*, ad sensum quidem recte, forma falsa tamen, quippe qui Cornelii in hoc genere scripturam haud nosset. Scribendum est: *conformarit*.

Restat, ut de paucis iis formis disputem, quas in editionibus productas legimus, et quae regulae a nobis propositae adversari posse videantur. Con. V, 4 *periisse* est, et ita omnes scripserunt editores, nec Rothius quidem satis sibi cavit, qui tamen contractas formas ubique fere retinuit. Multi tamen iique optimi libri manu scripti, ut Sangallensis, ut is codex, qui Collegii Romani dicitur, ut Marcianus A, ut Vaticanus egregiusque Axenianus *perisse* exhibent, quod solum rectum est. Similiter Agesil. VIII, 2 scriptum in nonnullis editionibus legimus *iisset*, quod *isset* scribendum erat; nam ita in longe plurimis est codicibus. Etiam Timol. V, 4 in omnibus, quas inspexi, editionibus inveni *obiisset*, quamvis optimus codex Guelpherbytanus, nec non Marcian. A veram lectionem *obisset* retinuerint. Eodem in Timol. V, 2 in omnibus editionibus *adiisse* invenies; sed unus codex Vaticanus rectissime *adisse* exhibet. Datam. IX, 3 *consueverat;* ita Rothius quoque scripsit, contemnens scilicet auctoritatem duorum codicum, Leidensis et Vossiani A, in quibus *consuerat* legitur, quod omnino est praeponendum, et jam ex ipsa analogia quadam scriptoris in locum inferendum esset, etiamsi nullo codice defenderetur. Pari modo Hannib. XII, 5 *consueverat* pleraeque tuentur editiones. Sed codex Marcianus A et editio Ultrajectina (ab anno 1542) rectissime edunt *consuerat*. Similiter Alcib. IV, 6 vulgo scribitur *consueverat*, quamquam duo optimi libri, Sangallensis et Marcianus A, et duae vetustissimae editiones, Argentoratensis et Ultrajectina rectissime habent *consuerat*. Nec mirum, quod omnes codices Themist. IV, 4 habent *ingratis*, quod cur vulgo scribatur *ingratiis*, non intelligo. De quo cfr. Beneckius ad h. l. p. 19 et 20, et Handius Tursell. T. II, p. 755 et T. III, p. 379. Nec non simili de causa Datam. X, 1 *dextra*, non *dextera*, ut Rothius scripsit, edendum est; nam illam scripturam

in plurimis libris manu scriptis invenimus. Cfr. Hannib. IV, 3. Eodem modo vocem *vinculorum* nonnisi contracta forma usurpavit vitarum scriptor, ut recte edidit ad optimos codd. Rothius Milt. VII, 6; Paus. II, 2; III, 5; IV, 1; Cim. I, 1, 4; Pelop. V, 1; Eum. XI, 3; Con. V, 3. Falsi vero sunt ii editores, et sunt paene omnes, qui *vincula* scripserunt forma producta. Nec non Cic. *vincla* scribere solitus est. Verbum *periculi* tamen non ita contraxit vitarum auctor. Duo loci restant nostrae contrarii regulae, qui omni codd. auxilio, quod equidem sciam, destituti videantur, Cim. V, 1: *desideraverunt*, et Eumen. XIII, 4, *humaverunt*, quibus locis equidem constantem scriptoris analogiam retinens facile adducor, ut voces contracta forma scribere malim. In Attico uno tantum loco XVIII, 3 vulgo legitur *enumeraverit.* Attamen hoc loco varia lectio est. Boeclerus scripsit *enumeravit*, itemque edit. Brixiania 1499, in qua tamen antecedens *ut* desideratur. Latet vero in illo *enumeravit* vera scriptura; nam edendum puto: *enumerarit.*

Hanc vero in formis quoque minutissimis omnium vitarum similitudinem, quis est, qui fortuitam quandam possit dicere? Nec ita explicanda est, ut ejusdem aetatis, non ejusdem auctoris illam proprietatem esse dicamus. Habent etiam in formis singuli scriptores proprium suum, nondum satis a criticis ubique observatum. Ciceronis in formis contractis mira cum vitarum auctore similitudo est, nec tamen scriptura utriusque auctoris eadem. Certe Cicero duplex ii in unum ī in formis, quales supra attuli, ubique contractum habet, ut homines dd. probarunt. In aliis formis vacillat Ciceronis usus, quas modo contractas, modo productas usurpasse videtur. Livius quoque multas habet contractas ejusmodi formas, nec tamen omnes. Cfr. de Cic. et Livii usu Haasium ad Reisigii praelectt. not. 271 et 272. In Sallustio, quod equidem observavi, nullo loco contractam detexeris formam, omnes productas habet.

Hoc loco de alia quadam re, ad formas scribendi quae spectat, mentionem injicere haud ineptum erit, quod scriptor vitarum nullo loco perfecti formam in *ere* exeuntem

usurpavit, nec in Attico nec in ceteris vitis. Quae quidem forma et vetustioris aetatis, ut Catonis, et inferioris, ut Taciti, Flori aliorumque inprimis est propria. Quare Sallustius quoque, vetustatis Catonisque inprimis summus imitator, ubique fere, paucissimis exceptis locis, formas in ēre usurpat. Nec sine causa subinde formam in *erunt* usurpasse videtur, sed certo quodam discrimine. Cfr. de hac re Haasius ad Reisigii praelectt. not. 269. Cicero rarissime formas in *ere* habet. Quare rectissime etiam ex hac re vitarum scriptorem Ciceronis aequalem fuisse concludimus.

Aliam scripturae proprietatem in vitis jam prius animadverterunt homines docti eam, qua scriptor non paucas Graecas formas in Latinum sermonem recepit. Quas partim enumeratas invenies (sed plures sunt) in Quaestionibus meis criticis de vero auctore vitarum p. 105, defendique p. 107. Id miror, Rothium suo more in vitis excell. ducum prava multa in textum recipendi, quo facilius possint accusari, maxime in talibus formis peccasse, ut qui *Salaminam*, *Troezenam* (Them. II, 8) similiaque scripserit. Quo loco quamvis nec pauci nec pravi codices rectam lectionem *Salamina*, *Troezena* praebeant, tamen Rothius depravatam amplecti maluit lectionem, quae quidem ex mixtura quadam latinae et graecae formae facta videtur; nam in aliis libris est *Salaminem*, *Troezenem*. In universum vero id bene animadvertendum est, in vitarum codicibus miro modo depravata legi nomina propria, ita ut nihil injustius sit, quam ex talibus corruptelis argumentum de vitarum inferiori aetate repetere velle, ut Rothius fecit, et magis etiam Rinckius, qui p. CXLV depravatas formas *Peloponensus* et *Peloponensius* vitarum auctori quasi seriori et barbaro obtrudit, licet non pauci codd. rectam scripturam exhibeant. Scilicet illi duumviri ex suo ingenio illos libros manu scriptos condemnant, qui haud satis faciant ad Aemilium Probum defendendum. Videmus, quam miro modo illi omne verum judicium perverterint.

Habent praeterea vitae suas formarum proprietates, quarum non paucas jam in Quaestionibus criticis meis de vero auctore vitarum tetigi. Ex his illud est, quod p. 114

in vitis nusquam non formas, *cum quibus*, *cum quo* cum in Attico tum in ceteris vitis usurpatas esse dixi, nusquam vero illas: *quibuscum*, *quocum*. Quod quidem hoc loco non repeterem, nisi Rinckius p. CLXI in hac re nihil inesse dixisset, quod scriptoris proprietatem quandem indicet, quippe qui communis omnium bonorum scriptorum sit usus. Nam in Cicerone et Livio formas promiscuas legi. Attamen vix satis recte in his minutiis scriptorum usum observasse videtur Rinckius, certe quod de Livio et Cicerone profert, falsum est. Habet enim Livius eandam, quam vitarum scriptor, proprietatem, ut nullo non loco *cum quo*, *cum qua*, *cum quibus* usurpet. Est quidem unus locus lib. XXXVIII, c. 9, quo editores cum Drakenborchio scribunt *quibuscum*. Sed hic quoque locus ad reliquorum analogiam mutandus, praesertim quum multi codd. ibi scripturam a nobis propositam tueantur. Jam apponam lectoribus Livii locos, quibus *cum quo*, *cum qua*, *cum quibus* obveniunt, si quidem omnes adnotaverim, quod dubito. Adnotavi hos: VII, 33, 34; IX, 17; XXI, 31, 54; XXV, 40; XXVII, 7; XXVIII, 25, 28, 34; XXIX, 8; XXX, 16; XXXI, 21; XXXII, 10; XXXV, 12, 40; XXXVI, 6; XXXVII, 54, 60; XXXVIII, 17, 31, 46, 48, 58; XLIII, 1, 3; XLIV, 35; XLV, 2, 4, 39. Cicero vero rarius omnino illa utitur disjunctione utriusque voculae, sed plerumque dicit *quibuscum*, et saepissime *quicum*. Videmus igitur sane aliquid vitarum scriptori in hac re proprium esse, quod semper voculas illas disjungat; et videtur hoc cum Livio eam ob causam habere commune, quod ejusdem patriae erat, scilicet Galliae. Agnosco enim in talibus dialecti proprietatem quandam, nec fortasse injuria. Nam qui factum est, ut cum eodem Livio alias quoque res sane singulares communes habeat, ut illud est, quod post *non dubito* ponere solet uterque scriptor accusativum cum infinitivo, quod uterque illud *contra ea* usurpat, aliaque pluria?

Ad nostram dijudicandum litem ne illud quidem parvi momenti est, quod de dictione auctoris vitarum observavi et quod jam supra p. 157, not. 2 innui, ab eo nusquam ver-

bum substantivum forma finita in oratione omitti, vel ubi verbum auxiliare formando perfecto passivo inservit, vel cum adjectivo conjunctum praedicatum, quod dicitur, exprimit. Pauca exempla afferam. Them. X, 4: *De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est.* Arist. I, 2: *In his autem cognitum est.* Paus. I, 2: *Hujus illustrissimum est proelium apud Plataeas;* ibid.: *— fugatus est.* Dat. III, 5: *— summa imperii tradita est*[1]). Attic. IV, 1: *In re publica ita est versatus;* VIII, 1: *Secutum est illud —;* IX, 1: *Secutum est bellum.* Cat. I, 3: *Aedilis plebis factus est cum Helvio.* Semper in vitis: *quo factum est*, et similia. Quid multis? Nullum nec in Attico nec in Catone nec in ceteris vitis omissi in talibus verbi substantivi exemplum reperies. Nec solum in omnibus his vitis talis regnat dicendi regula, sed eandem etiam in fragmentis Cornelii Nepotis, in quibus ipsa Cornelii verba servata sunt, eodem modo valere cernimus. Cfr. Gell. N. A. XI, 8, 1—5: *Graeca ōratio a nobis alienissima est.*

Vice tamen versa infinitivum verbi substantivi, ubi pro voce auxiliari participiis adjici solet, nullo non loco in vitis omissum esse animadvertes, nec nisi ibi expressum, ubi intentior quaedam vis aut existendi aut praesentis actionis inest. Abest quoque infinitivus *esse*, ubi ad adjectiva adpositus accusativi cum infinitivo structuram, quam vocant, format, si modo verbi natura, unde pendet constructio, talis est, ut omitti possit. Id vero mihi animadvertere dulcissimum erat, quod eadem dicendi ratio in Attico Catoneque invenitur atque in ceteris vitis. Exempla afferam omnia utriusque generis, si modo colligere potuero, nec subinde locus aliquis oculis elapsus fuerit.

Infinitivum *esse* haud expressum legimus in his locis:

---

1) Hunc locum eo consilio pro exemplo hic posui, ut in eo quoque ostendam, quam callide Rothius in omnes lectiones inquisiverit, quibus possit inferioris aetatis maculam vitis adspergere. Nam illum locum ita Rothius edidit invitis multis codd., inter quos optimus est Danielis: *summa imperii tradita sunt.*

Praefat. 1: *dignum — judicent*, *relatum — legent*; 2: *nihil rectum — putabunt*; 3: *nos — secutos*; 4: *nefas habetur*; 5: *partim infamia*, *partim humilia atque ab honestate remota ponuntur*; 6: *apud illos turpia putantur*. Milt. I, 1, 3, 5: — *talem eum futurum*, — *incepta prospera futura*, — *tum id se facturos*; II, 4: — *sese dedituros* —; III, 2, 4, 5, 6: — *retenturum potestate*, — *liberos a Persarum futuros dominatione* —, *ipsos — daturos*, — *consilia sua perventura* —; IV, 5: *civibus animum accessurum* —. Them. IV, 2, 4, 5: *dispersos testabatur perituros*, — *bellum confecturum — universos oppressurum* —; VI, 4: — *legatos ad eos missuros dixerunt*. Paus. II, 4, 5: *redacturum pollicetur* —, *nullius rei a se repulsam laturum*; III, 4, 6: *se — damnaturos*, — *putarunt — exspectandum*; IV, 3, 6: *neque prius vim adhibendam putarunt*, — *magno ei praemio futurum*. Cim. I, 3, 4: *se pro illo pecuniam soluturum*, — *seque Calliae nupturam*. Lysand. II, 3: *Vidit — futurum*; III, 2, 5: *se Afros facilius corrupturum*, — *se habiturum*; IV, 1: *magnam enim ejus auctoritatem in ea re futuram*. Alcib. I, 1: *videtur experta*; IV, 5: *Postquam autem se capitis damnatum*, *bonis publicatis*, *audivit*; VIII, 2, 3, 4, 6: *se coacturum*, — *aut conflicturos aut bellum compositurus*, — *nullius momenti apud exercitum futurum*, — *navesque pene inanes relictas*; IX, 3, 5: *cernens nullum locum sibi tutum*, — *facile se consecuturum*; X, 2: *statuit*, *accuratius sibi agendum*. Con IV, 3: *ducem fortem*, *prudentem regis opibus praefuturum*, *ac secum dimicaturum videbant*; V, 1, 3: *cum ultum se injurias patriae putaret*, — *abductum ibique eum perisse scriptum reliquerunt*. Dion. I, 3: *salvum propter necessitudinem*, *magis etiam suorum causa*, *studebat*; IV, 2: *id cum factum multi indignarentur*; V, 2: *tyrannus magnarum opum putabatur*; V, 4: *ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum*; VII, 1, 3: *se tutum putabat*, — *tyrannum non ferendum dictitabat*; VIII, 2: *facile omnium animos cogniturum adversariosque sublaturum*. Chabr. III, 1: *capitis se illum damna-*

turos denunciarunt; III, 4: *tantum se ab invidia putabant futuros.* Datam. IV, 3, 4: *morem gerendum putavit, — existimans, se imprudentem oppressurum, — cognoscit profectum eum venatum;* V, 1, 5: *nondum Datamem profectum putabat, — non ignorabat, ea vere scripta;* VI, 3, 4: *sensit futurum, ut, — in vulgus edit, suo jussu Metrobarzanem profectum, — futurum, ut;* VIII, 6: *seque legatos missurum dixit;* IX, 2, 3: *neque credendum neque negligendum putavit, — futuras insidias dixerant;* X, 1: *pollicitus est, se eum interfecturum.* Epam. II, 2: *ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus;* VII, 4: *animadvertebat, totum exercitum — periturum;* VIII, 1: *suaque opera factum contenderent; — nemo Epaminondam responsurum putabat;* IX, 3: *animam statim emissurum;* X, 3: *omnem civilem victoriam funestam putabat.* Pelop. I, 3: *satius ducebant.* Ages. II, 4: *juravit uterque, se sine dolo inducias conservaturum;* III, 1: *non dubitans, eo potissimum hostis impetum facturos;* III, 5: *victumque se vidisset.* Eum. III, 4: *intelligebat, non modo non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras;* VIII, 6: *intelligebat, hostes prius rescituros, — sperabat, se imprudentem hostem oppressurum;* IX, 1, 2: *affuturus videbatur, — ait, se rem expediturum, — se effecturum;* X, 2, 4: *se eum defensurum nec unquam deserturum, — videbant, omnes pro illo parvi futuros;* XII, 2, 3: *sese enim cum Eumene apud eum non futuros, — negabat, se ei vim allaturum.* Timol. I, 5: *nonnulli laesam ab eo pietatem putabant.* Reg. III, 5: *de quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur —.* Hamilc. I, 5: *cum Catulus negaret bellum compositurum —; ipse periturum se potius dixerit.* Hannib. VII, 3: *obsides, quo loco rogarent, futuros; captivos non remissuros;* VII, 6: *hos ratus sui exposcendi gratia missos;* VIII, 2: *a servolis ipsius interfectum eum scriptum reliquerunt;* X, 5, 6: *Id illos facile serpentium multitudine consecuturos, — rex in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum;* XII, 2, 3: *nunquam se sine insidiis*

futuros existimarent; — locum, ubi esset, facile inventuros; XII, 5: *puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset, omnisque exitus occupatos ostendisset; sensit, id non fortuito factum.*

Ex Attico haec apponenda exempla sunt:

Attic. II, 2: *idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis;* III, 1: *ut communis infimis, par principibus videretur;* VIII, 4: *qui officia amicis praestanda sine factione existimaret; — si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum hae paterentur; se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum;* IX, 2: *in eo laedendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem;* IX, 6: *nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum;* XI, 6: *ut vere dictum videatur;* XIII, 6: *scimus, non amplius quam terna milia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum;* XIV, 1: *quod nos quidem jucundissimum arbitramur.*

Nec aliter in Cornelii Nepotis fragmento aliquo (p. I codicis orationum Ciceron. Philippicarum Guelpherbytani) est: *Non ignorare debes, unum hoc genus — omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum.*

In disceptationem jam vocentur ii loci, illis sane longe pauciores, ubi infinitivum *esse* in hoc genere dicendi expressum legimus, quod, ut equidem sentio, nullo non loco cum quadam verbi substantivi vi factum est.

Loci hi sunt. Paus. IV, 1 legitur: *Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venerio dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artaxerxem accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se* e s s e s c r i p t u m, *quod nemo eorum redisset, qui super tali causa eodem missi erant, vincla epistolae laxavit signoque detracto cognovit, si pertulisset,* s i b i e s s e p e r e u n d u m. — Simillimus locus est Themist. VIII, 6: *Quae cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset,* s i b i e s s e p e r e u n d u m. — Utroque loco illud *esse*, quod ad *pereundum* additum est, *quam certe*

pereundum fuerit, singulari vi intendit. In eo, quod supra legitur, *esse scriptum*, additum illud *esse* intentiorem habet existendi vim, nam significat fere idem quod *inesse.* Similiter Lysand. IV, 1 *esse* additum legitur. Ibi sic est: *Nam cum Lysander praefectus classis in bello multa crudeliter avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo,* sqq. Hoc loco nuntium perlatum ad cives tum adhuc valuisse ex mente Lysandri infinitivo praesentis temporis accuratissime exprimitur.

Locus Alcib. III, 3: *Hoc cum appareret, non sine magna multorum consensione esse factum,* sane ita stare posse videtur; nam haud inepte *esse factum* pro tempore praesentis actionis accipias, ita ut factum illud etiam tum quasi in praesens Atheniensium tempus valuisse dicas. — Locus quoque paulo inferius positus, Alcib. IV, 5, accuratissime singularem infinitivi *esse* vim declarat: *Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, et, id quod usu venerat, Olympidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, ejusque devotionis quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedaemonem demigravit.* Exemplum, incisum in pila lapidea, quod positum *exstabat* tum in publico, hoc accuratius infinitivo *esse*, qui praesentem rem innuit, exprimitur. Datam. XI, 3 miror *esse* positum legi. Locus enim is est: *Datamemque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum.* Hoc loco non facile quisquam infinitivo *esse* singularem vim inesse probaverit. Attamen, quod bene attendendum est, fluctuant hoc loco libri; Axenianus et Vaticanus *fuisse* pro *esse* praebent; Boeclerianus omisit *esse*, quae quidem lectio ex tota dicendi ratione scriptoris maxime probanda videtur. Cfr. Cic. offic. I, 13. — Epam. tamen VI, 3 recte legitur sic: *huic in respondendo Epaminondas, cum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit, innocentes illos natos domi, scelere admisso cum patria essent expulsi, rece-*

p t o s e s s e ab Atheniensibus. Non sine causa hoc loco additum ex Epaminondae mente est *esse;* quasi receptio illa Atheniensium illo quoque tempore suam retinuerit vim. Similiter Eumen. XII, 1 illud *esse* propriam suam habet vim. Ibi enim est: *De hoc Antigonus cum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic cum omnes primo perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium,* sqq. — Nam illo tempore volebant illi supplicium sumtum et quasi peractum jam exstare exempli loco. Eodem Eum. IX, 4, 5 bis rectissime legitur *esse* participiis adjectum sic: *hisque praecepit, ut prima nocte, quam latissime possint, ignis faciant quam maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant: et assimulata castrorum consuetudine suspicionem injiciant hostibus, his locis esse castra ac de eorum adventu e s s e p r a e n u n t i a t u m; itemque postera nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignis suspicatur: credit, de suo adventu e s s e a u d i t u m.* Utroque loco perfecto praesentis actionis vim inesse accuratius addito *esse* innuitur. Eadem vis perfecto inest illo loco, qui Themist. VII, 3 ita legitur: *A quibus cum audisset, non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit, falsa his e s s e d e l a t a.* Nam *delata* tam adhuc apud ephoros valebant. — Nec aliter locus Timol. V, 3 dijudicandus est, quo loco sic scriptum legitur: *Idem, cum quidam Lamistii similis, nomine Demaenetus, in contione populi de rebus gestis ejus detrahere coepisset, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit, nunc demum se voti e s s e d a m n a t u m.* Quo loco rectissime *esse* expressum legitur eam ob causam, quod perfectum praesentis rei vim habet, id quod clarissime quoque ex temporali vocula *nunc* perspicitur. Duo restant loci, ubi *esse* rectissime additum est, Eum. VIII, 4 et Hannib. XII, 5. Priori loco sic scriptum est: *Hoc Antigonus cum comperisset intelligeretque, se parem non esse paratis adversariis,*

statuit aliquid sibi consilii novi e s s e c a p i e n d u m. Alter locus hic est: *Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset omnesque exitus occupatos ostendisset, sensit, id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam* e s s e r e t i n e n d a m. His locis similes sententiae simillimo modo expressae; nam utroque loco id, quod faciendum erat, quam necessarium tum fuerit, addito *esse* non sine aliqua vi exprimitur. — De uno praeterea loco, Ages. III, 4, diu haesitavi. Ita legitur: *Huic cum tempus esset visum, copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si quo esset iter facturus palam pronuntiasset, hostes non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos, aliud esse facturum ac pronuntiasset.* Fuit tempus, quo putarem scribendum esse *aliud sese facturum*, quod ex mente Agesilai prolatum ipsum opponeret hostibus. Attamen vix illud loco vitio vertendum est, quod *pronomen* abest, quod licet sane in talibus omitti et a Nepote quoque ita omittitur. Quare jam huic loco, ut legitur, acquiescendum puto, quum quidem *esse* accuratius videatur innuere talem suspicionem hostium, qua jam tum alia molientem esse putarent Agesilaum.

In Attico uno tantum loco, II, 2, *esse* adpositum ad participium legitur, nec sine certissima causa. Verba haec sunt: *Itaque interfecto Sulpicio posteaquam vidit, Cinnano tumultu civitatem* e s s e p e r t u r b a t a m, *neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, — Athenas se contulit.* Describit praesentem tum reipublicae statum, quare rectissime usus est ex sua scribendi ratione infinitivo *esse.*

Haec omnia prolixius paene a me disputata id volo efficiant, unum idemque etiam in minutissimis rebus esse omnium vitarum dicendi genus, nec id indiligens ac neglectum, sed accuratissimum et bene latinum, necdum in singulis satis exploratum. In universum vero nondum satis indagatum videtur, qualis regula sit omissae in talibus infinitivis voculae *esse*, et qualis fere singulorum scriptorum in hoc genere loquendi usus. Apud Sallustium constat eandem valere atque in vitis nostris regulam;

nam plerumque omittitur *esse*, cum vero ponendum est, intentiorem videtur vim habere. Cfr. de hac re Kritzium ad Cat. I, 3; XX, 3; XLVIII, 5; Jug. XX, 3; XXII, 1; XL, 4; LXXIX, 7; LXXXII, 1; quamquam non omnino consentio cum v. d. de ea causa, qua *esse* ponendum censet, quippe qui nihil in ipsa ea vocula potestatis inesse putet. Nec id omittam, mihi in Caesare quoque, optimo scriptore, eandem videri regulam valere, sed Ciceronis et Livii liberior videatur in hac re usus esse. Sane optandum est, ut de hac re altius etiam quaeratur.

Addendum hoc loco putavi, quod de forma passiva ejus temporis, quod futurum secundum vocant, animadverti in vitis; ad quod formandum non *fuero*, sed *ero* adhibuit scriptor Themist. IX, 4: *quam* (amicitiam) *si ero adeptus.* Semel tantum futurum exactum passivae formae hoc ipso loco, quem attuli, in vitis invenitur; quod ne commemorassem quidem, nisi in fragmento Corneliano, ex epistola Corneliae Gracchorum matris asservato, simillima forma bis legeretur: *ubi mortua ero.* Quamvis huic rei non multum tribuerim, quum sciam, non tam raro tales inveniri formas; tamen, quum etiam in his formis vitas fragmentis Cornelii Nepotis haud dubiis congruentes invenerim, praetermittendum non putavi.

Etiam in alia nec sane vulgari formatione Attici scripturam satis aequalem ceteris vitis deprehendimus. In Attic. IX, 7: *Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid alii laudaturi forent.* Cum hoc loco conferendus Dion. VIII, 2: *Quem si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum adversariosque sublaturum, quod inimici ejus dissidentis sensus aperturi forent.* Nec concedo hoc loco Fried. Haasio, qui in not. 445 ad Reisigii praelectiones de lingua latina habitas Dionis locum minus accurate scriptum dicit. Nam utriusque loci et Attici et Dionis conditionalis ratio illam ipsam provocavit dicendi formam, quae inprimis Cornelio Nepoti propria fuisse videtur; nam satis saepe utitur illud *fore* et *forem*, quemadmodum Livio quoque et Sallustio satis frequens est.

Jam ad aliam veniam scribendi proprietatem, quam in vitis jam doctissimus Jahnius, Lipsiensis, animadvertit, nullibi in iis infinitivos id genus legi, quos historicos vocant. Nec immerito in hac quoque re egregium Ciceronianae vitarum aetatis argumentum inesse putem; quis enim historicus paulo inferioris est aetatis, quin his infinitivis abunde sit usus? Jam quidem Caesar passim iis usus est, rarius Cicero, frequentissime Sallustius. At proferent adversarii duos locos, quibus talem structuram in vitis exstare contendent. Unus, Alcibiad. VI, 3, ita legitur in editione Rothii: *Ille lacrumans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminisci pristini temporis acerbitatem.* Unus *Rothius* ex duobus codd., Danielis et Guelpherbytano, sic scribendum locum curavit, quem locum Rinckius, talium captator, avide arripuit ad vitas incusandas. Licet omnes praeter duos illos libros, ceterum bonos, scribant hoc, quod sensus sanus efflagitat, *reminiscens;* perstat tamen Rinckius p. CLIV, hoc loco infinitivum historicum reperiri. Alter locus, Eum. IX, 1, plurium quidem codicum ope defenditur, faciliusque natura sua infinitivum historicum admittit. Hic est: *Conveniunt duces: quaerere, quid opus sit facto.* Attamen jam omnium vetustissima editio Veneta (1571) rectam lectionem praebet, *quaeritur*, quam editores, nisi erro, omnes conservarunt; etiam optimus codex Guelpherbytanus praebet compendium q̄ū, quod antecedente praesenti tempore non facile aliter explicueris, quam per *quaeritur;* nec minus in Vossiano cod. supra lineam scriptum legitur *quaeritur*, et, ut traditum est, idem in Leidensi et Boecleriano codice invenitur. Quae omnia suadent, ut rejiciatur eorum sententia, qui huic loco infinitivum obtrudunt, magis vero etiam hoc suadet omnis dicendi ratio auctoris; saepius enim in fervidiori narrandi cursu tempore praesenti, nusquam infinitivis usus est. Cfr. Hannib. IV, 1; Alcib. X, 2, 4; Datam. toto cap. VI et aliis locis. Suo igitur jure *Jahnius* id ipsum, quod infinitivorum historicorum structura, quam vocant, nostrae careant vitae, ut haud sane debile antiquioris eorum aetatis documentum

premere potuit; illud minus recte addidit, praesenti historico vitarum scriptorem vel nusquam vel rarissime usum esse.

Jam de singulis iis verbis pauca placet disputare, quae ut minus latine dicta a viris nonnullis doctis accusata sunt. Nec tamen omnia, quae huc traxerunt, refutare nunc mihi in animo est, quippe quorum defensio jam prius partim ab aliis viris dd. partim a me ipso sit non suscepta modo, sed, ut spero, magnam partem etiam perfecta. Cfr. Quaestiones meae criticae de vitarum auctore cet. p. 104 sqq. — Nunc jam ea paucis tangam, quae Rinckius in prolegg. suis p. CXLVIII denuo accusavit, satis multa, nec tamen semper satis gravia. Nescio enim quo modo vir d. in illa verborum censura fluctuat et ambigit, ut quae modo accusasse videatur, ea mox defendat, nulloque modo in his firme ejus stet judicium. Quin multis locis deteriorem librorum amplectitur scripturam, quo facilius habeat quas in scriptorem conjiciat contumelias. In plerisque vero injustissimum se verborum praebuit exagitatorem, quod nonnullis ejus rei allatis exemplis, inprimis illustribus, jam probare conabor.

Falsum est, quod in loco Milt I, 4: *idque Lemnii sua sponte facerent*, verbum taxat faciendi, quod quam lato sensu, quam saepe apud latinos in usu sit, omnes sciunt latinae linguae peritiores. Cfr. Bremi ad Chabr. III, 4; Cic. in Cat. I, c. 9, §. 23; II, 7, 14. — Milt. II, 4 errorem paucorum codicum: *Chersoneso — constituto* accusat, quasi vera sit scriptio. Nec minus Timoth. I, 2: *Samum cepit, in quo oppugnando*, ab auctore scriptum contendit, licet multi libri femininam formam *in qua oppugnanda* recte tueantur. — Milt. III, 1: *principes*, ut etiam Chabr. III, 4: *omnes fere principes* inferioris aetatis verbum videtur sibi invenisse, quo ii sub imperatoribus significarentur, penes quos rerum summa esset. Omisit vero unum praeterea locum, ubi eodem modo absolute positum est idem verbum, Epaminond. I, 2. Quae de verbo principis si vera esset Rinckii sententia, etiam ea oratio, quam pro Milone scriptam edidit Cicero, non Ciceronis, sed serioris cujusdam auctoris esset. Ibi enim

c. 8 sic est: *credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis et perditorum temeritati.* Nec non idem Cic. de offic. I, 39 accusandus esset, quod ita scripsit: *facta principum imitantur.* Jam igitur Cicero, jam Livius eos viros, qui Romae ceteris omnibus et nobilitate et auctoritate praestabant, qui primores etiam civitatis dicuntur, principes vocavit. Notum etiam, *princeps senatus* qui sit vocatus. Cfr. praeterea Cic. Philip. VIII, 10; Nep. Attic. XVI, 4; Liv. XLV, 40. — Milt. IV, 4 *defendendi* verbum absolute positum deprehendimus: nam *se* libri non praebent; attamen Cic. quoque similiter de offic. I, 7: *qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriae* —. Milt. V, 2 accusat Rinckius conjunctivum perfecti quasi vitiose positum. Verum quidem, inusitatius et uno quidem hoc loco perfectum conjunctivi post *factum est* vitarum auctor posuit (cfr. sup. p. 106); attamen ne hoc quidem falsum. Cfr. Haasius ad Reisigii praelectt. not. 479. Quam Rinckius de conjunctivi perfecti usu post *sic*, *talis* aliaque similia proposuit regulam, vix satis vera, certe nimis arctis finibus circumscripta est. Meam qualemcunque de hac re sententiam supra p. 166 declaravi. Mire fluctuant in ejusmodi locis explicandis virorum sententiae. — Milt. VIII, 3 *Chersoneso* pro Chersonesi, ut II, 4 legitur, num recta sit scriptura, vehementer dubito; nam multi libri iique boni *Chersonesi* habent, quamvis etiam ablativus ferri possit; nam Chabr. III, 4 *Lesbo*, *Sigeo* optimi habent codices. Et ita non solum Justinum locutum esse, sed etiam optimae aetatis scriptores, Beneckius probavit ad Just. II, 13, 5 et ad hunc loc. p. 33. Falsus igitur est Rinckius, qui soloecismum esse dicit.

Accusat Rinckius falsum pronominum *suus* et *ejus* usum, Them. VIII, 2: *Hic cum propter multas ejus virtutes magna dignitate viveret* —; Milt. I, 1: *eaque esset aetate, ut non jam solum de eo bene sperare sed etiam confidere cives possent sui*, et Cim. III, 1: *incidit in eandem invidiam, quam pater suus ceterique Atheniensium principes.* Attamen haec non amplius accusare debebat Rinckius, quippe quae abunde jam essent excussa

a philologis. Cfr. Zumptii grammat. §. 550, multa utriusque generis exempla et ex Cicerone et ex Livio aliisque proferentis, Haasium ad Reisigii praelectt. not. 384, Kritzium ad Sallust. Jug. CIII, 2; Ramshornii grammat. lat. §. 158, 5. Cfr. praeterea Cic. in Cat. II, c. 5, §. 10. Mihi quidem omnis haec illorum pronominum inter se permutatio, non rara quidem apud latinos, inde explicanda videtur, quod scriptor aut quae ex alterius sensu proferenda erant ad suam, aut quae ex ipsius sententia dicenda erant, ad alius mentem referre voluit. — Quae Pausan. I, 2 *magna manu Graecia*, Alcib. VII, 4: *primus Graeciae civitatis*, de Reg. I, 1: *Hi fere fuerunt Graeciae gentis duces*, leguntur, in his locis *Graecia* pro adjectivo esse a scriptore positum, facile adducor ut concedam Rinckio (cfr. Vellej. Paterc. I, 4, 3 et Festus); illud non intelligo, quomodo inde inferioris aevi documentum repetere potuerit. Habet noster scriptor in nominibus propriis suum usum et studium antiquarum et Graecarum formarum haud obscurum. Quare recte scribitur Alcib. IV, 7; IX, 5: *Perses rex* pro rege Persico. Ita dicit scriptor: *Laco*, *Grajus*, et alia; attamen etiam *Lacedaemonius* et *Graecus*. Nam non sine quodam sententiae discrimine formas illas diversas usurpat. — Paus. I, 4: *versus exsculpserunt*, vituperat Rinckius, nec ullum scriptorem hoc sensu verbum usurpasse putat. Tamen in Terent. Phorm. V, 8, 96 cum bonis libris scribitur: *exsculpe oculum* Quin, quamvis in solis vitis ita legatur, tamen nihil in verbo taxandum putem, quippe quod satis bene et ad aliorum verborum analogiam optime sit formatum. Ita *eradere*, *effodere* alia. — Id. II, 5: *quae pollicetur* in oratione Rinckio displicet obliqua. Mox tamen defendit. Velim, legerit v. d. quae de talibus per indicativum modum expressis enunciatis, orationi obliquae insertis, disputarunt Kritzius ad Sallust. Cat. XIV, 7; Jugurth. LXIII, 1; Gernhardus ad Cic. de offic. I, 9, 28 et I, 25, 87. Nec tamen video, cur non alios quoque locos, quibus eadem scriptor usus structura est, ut Milt. III, 4; Them. VII, 6; V, 1; IX, 3; Eum. VI, 3; Hamilc. I, 5 accusaverit Rinckius. — Paus.

III, 4, ubi alii libri *cum lana*, alii *cum lava*, alii *cum lancea* praebent, locum aperte corruptum, nihil erat, cur accusaret Rinckius. Locum de scytale Laconica intelligendum esse, nemo non videt. — In Cimone IV, 2: *Saepe, cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit*, — displicet illud *offensum fortuna* Rinckio, quasi paulo obscurius dictum pro *fortuito obvium*. Attamen *offensus fortuna* is a scriptore dictus est, qui ex bona fortuna ceciderat, quales homines conflictatos fortuna appellat Cicero. Istam Boecleri et Freinshemii explicationem, item Matth. Gesnero aliisque probatam (vid. Thes. s. v. offens.) non ferendam puto. *Fortuna* non est *fortuito*; nec puto hoc loco quaerendum esse, quomodo Graeci scriptores rem narraverint. Latinus auctor sua liberiori modo proferens id voluit exprimere, Cimonem iis, qui immerito essent ad inferiorem fortunam detrusi, ita ut vix satis bene essent vestiti, saepe amiculum suum dedisse. — Nec Alcib. II, 1 verbum *reminiscendi* pro *excogitare* falso, quamvis paulo insolentius dictum puto. Propius accedit ad sensum verbi comminiscendi, nec desunt loci, quamvis sint pauci, ubi non *recordandi* sensum, sed alium quendam ampliorem *reputandi* verbum habet, cfr. Liv. IV, 2. — Alcib. III, 2 *bellum apparare* insolenter dictum putat Rinckius. Attamen Cic. p. leg. Manilia XII, 35: *Ita tantum bellum — Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* Nec cerno, cur dicendum non sit eod. Alcib. X, 3: *iter comparare;* nam non quidem alias eandem inveni dictionem, nec multum sane quaesivi, tamen memini legere *convivium*, *pugnam*, *tumultus comparare* aliaque similia. — Alcib. III, 6 male scripsisse vitarum auctor incusatur a Rinckio: — *quod in domo sua mysteria facere dicebatur.* Quippe putat Rinckius non aliter dici posse quam *domi meae*, *tuae*, *suae*, *nostrae*, *vestrae*, *alienae*. Attamen non tam stricte valere communem hanc grammaticorum regulam, varia probant exempla, ubi praepositio *in* pro illa, quam dixi modo, structura posita legitur. Cfr. notam Fried. Haasii ad Reisigii

praelectt. 560 et Kritzium ad Sall. Jug. LXVI, 3. Equidem addo locum Petronii Satyric. LXIV (edit. Burmanni): *nemo, inquit, in domo mea me plus amat;* ne afferam poetam, Horat. Od. II, 18, 2: *mea renidet in domo.* Tantum vero abest, ut vitarum scriptor propter illam structuram incusari possit, ut hoc ipsum quam pure scribat, ostendat optime. Nam aliis locis ad communem rationem scripsit, Timol. IV, 4: *suae domi;* Timoth. I, 3: *domum suam.* Sane enim discriminis aliquid interesse videtur inter genitivum, quem esse dicunt, et propositionem *in* ejusmodi in structuris. Genitivus enim ponitur, ubi domus opponitur iis, quae foris, sunt; *in* vero adhibetur, ubi nulla ejusmodi est oppositio et magis aedificium et habitatio ipsa, quaeque in iis fiant, sunt significanda. Scriptor vitarum bene hoc discrimen observavit. — Alcib. V, 2: *id Alcibiadi diutius celari non potuit*, qui locus mihi sane offensioni et nunc est et semper fuit. Nec dubito locum corrigere, ita: *id Alcibiades diutius celari non potuit;* nec puto me audacius fecisse. Nam video eundem nostrum scriptorem activa structura Hannib. II, 5: *non imprudenter feceris, si me celaris*, et Eum. VIII, 7: *Iter, quod habebat, omnes celat*, duplici accusativo usum esse. Qui vero ita scribit activa structura, eundem in passiva forma accusativum personae, quem dicunt, nominativum non fecisse vix mihi persuadere possum. Puto igitur hoc loco lapsum esse librarium eum, qui codicem eum conscripsit, ex quo ceteri omnes libri manu scripti fluxerunt. Nec sane desunt loci, ubi apertos errores librariorum in vitis deprehendamus. Miro autem modo in nominibus propriis errarunt librarii paene omnibus, ita ut quot nomina propria legeris in vitis, toties fere diversitatem maximam scripturae invenias. Quare minime mirandum esse puto, si hoc loco imperitus nescio quis vitarum descriptor ex ultima syllaba ES fecerit I. Quare respuo ad hunc defendendum locum trium locorum auctoritatem, Pauli Nolani carm. XVIII, v. 295, Hirtii B. Alex. VII, et Ovidii Fast. IV, 149, ubi in editionibus vulgo *celari* cum dativo conjunctum est (quamvis Hirtii et Ovidii loco fluctuante librorum scriptura). — Alcib.

VI, 2 *amissus* verbum est, quod alias haud invenerunt philologi; *amissio* vero haud raro legitur. Attamen quid est, cur vitarum auctori formam nolimus concedere, quae analogiam habet optimam. Cfr. verb. *immissus.* In universum vero hoc loco adnotandum videtur, antiquiorem Romanorum aetatem multo majorem habuisse eorum substantivorum numerum, qui in *us* exeunt. Ita Pacuvius apud Cic. Tusc. disp. II, 21 dixit *attrectatu*, quod substantivum deinde evanuit. Talium substantivorum amorem prodit quoque vitarum auctor; exempla legenti facile inveniuntur. Cfr. Iphicrat. II, 5: *inceptus;* Hannib. V, 2: *objectus.* — Thrasyb. I, 1 — *dubito*, *an* sensu affirmandi positum improbat Rinckius. Attamen auctoritatem ei opponam Reisigii, praelectt. §. 278, et Haasii ad h. l., Handii Tursell. I, 330. — Thrasyb. I, 4: *quod in proelii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium,* locus corruptus dicitur esse. Libri variant in voce *vimque.* Unus liber *vique*, alius *usque*, alius *cujusque*, alius *nostrum cujusque.* Sed longe plurimi et optimi libri *vimque* habent, quod retinendum censeo, modo recte explicetur. Nam *vires* ad corporum firmitatem, *vim* ad copiam et numerum militum refero. Hoc sensu non raro in usu est hujus vocis numerus singularis; pluralis non potest non de corpore intelligi. Ludit igitur scriptor in diversa quadam et pluralis et singularis numeri significatione. — Dion. I, 2 taxat Rinckius verbum *commendandi* quasi falso positum pro *celebrare*, quo sensu nunc Itali utantur. Ibi est: *Dion habuit — magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur.* Attamen est hoc optime dictum pro *se commendat.* Sic Cic. de clar. orat. 59: *Nulla re una magis orator commendatur, quam verborum splendore et copia.* Et sic saepius.

Injustissime quoque accusat Rinckius *usque eo*, quod Dion. IV, 5; Chabr. I, 3; Pelop. III, 1 legitur; quippe falso dictum putat pro *usque adeo.* Cfr. tamen Cic. Att. II, 14: *Ego autem usque eo sum enervatus, ut —;* Cic. orat. c. 29: *usque eo morosi, ut —.* Dicit tamen haud raro Cic. quoque *usque adeo*, ut Nepos in fragmentis.

Dion. VIII, 2 haec scripsit vitarum auctor: *ait, eum magno in periculo esse propter offensionem populi et odium militum, quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum.* Quo loco nescio quo pacto Rinckius pro *alicui* mavult scriptum esse *cuiquam.* Mirum errorem. Nisi forte putat Rinckius, nullo non loco *quisquam* aut *ullus* dicendum, quo negativa forma inveniatur, qualis fere regula pueris traditur. Non a forma orationis negativa pendet, utrum *aliquis* an *quisquam* aut *ullus* sit adhibendum, sed ab ipsa sententia. Negandi vis semper inest in *quisquam* et *ullus*, affirmandi in *aliquis.* Quare dicimus *sine ulla dubitatione*, attamen *non sine aliqua dubitatione.* Nemo ponet post *quin* particulam *quisquam* aut *ullus*, quamvis *quin* ipsum non adhibeatur, nisi praecedente negatione. Nam talia enunciata semper affirmandi vim habent. Exempla qui quaeret, ubi *aliquis* in negativis adhibitum inveniatur enunciatis, adeat Fried. Haasium ad Reisigii praelect. adnot. 352. Locus vero Hirtii B. G. VIII, 1, a Rinckio allatus, sane difficilior explicatu videtur. Ibi haec: *non esse autem alicui civitati sortem incommodi recusandam, si tali mora reliquae possent se vindicare in libertatem.* Hoc loco nemo non exspectaverit *ulli civitati;* nec sane falsum esset; nam sensus est, nullam civitatem sortem incommodi debere recusare. Attamen ne illud quidem alterum *alicui* falsum; nam ex Hirtii sensu id valet locus, recipiendam esse (hoc est: non recusandam esse) ab aliqua civitate sortem incommodi; vult igitur exprimere, uni alicui civitati sortem illam esse patiendam. Locus vero Dionis supra laudatus tali sensu est, ut ne admittat quidem pronomen *quisquam*, a Rinckio desideratum; nec erit, quod accuratius hoc explicem; nam nemo non perspiciet.

Quis jam audiat Rinckium vitarum auctorem ita exagitantem: *In Chabria III*, 1 *diem certam praestituerunt: dies certa aliquam contradictionem continere videtur, namque dies generis feminini tempus indefinite potius cogitatum denotat, masculini vero diem certum.* Non curo

Rinckii regulam; legi in Cic. ad Attic. VI, 2: *Statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent;* et in Livio I, 50: *In certam diem convenire;* et in Ulpiano: *Inter certam et incertam diem discrimen esse ex eo quoque apparet*, sqq. Ex quo Ulpiani loco satis elucet, juridicam quandam vim habuisse apud Romanos formulas illas, *certa dies* et *incerta dies.* — Epam. X, 3 *pugnari coepit*, quamvis paulo insolentius dictum, tamen similibus optimorum scriptorum exemplis defenditur.

In Eum. II, 2 *praedestinavit* non Christianam solum *locutionem* esse, Liv. XLV, 40 probat. Ibid. IV, 1 — *cum esset oppugnatum* melior videtur lectio, nec sane in eo offendendum est, quod *absolute* verbum positum est; sic multa similia. Cfr. Beneck. ad h. l. p. 38.

Eum. IX, 3 Rinckius non quidem temporis enallagen *mittit* — *praecepit* vituperat; attamen subsequens praesens, *ut faciant* sqq., male eum habet. Non ita locum defendam, ut ad diversam scripturam *praecipit* provocem; quae mihi quoque displicet, nec satis codicibus firmata est; attamen ne antecedente quidem perfecto subsequens *faciant* falsum est; quippe hoc praesens strictius etiam ea, quae ex Eumenis mente sint dicta, exprimit. Multa congerere possum ex Livio maxime exempla, ubi post perfectum tempus et praesentis et perfecti conjunctivus positus est ad ea, quae ex mente alicujus sint prolata, etiam magis efferenda; provocabo potius ad duorum simillimorum in Sallustio locorum auctoritatem, Catil. XLI, 5: *legatis praecepit, ut studium conjurationis vehementer simulent, ceteros adeant* sqq., et Jug. XXVIII, 1: *his praecepit, omnes mortales pecunia aggrediantur*, ad quos locos conferas quae adnotavit v. d. Kritzius. Ejusdem omnino naturae est alius quoque vitarum locus, in Hannibal. X, 5: *Harum cum effecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat, hisque praecepit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem*, sqq. Hoc quoque loco libri sunt, qui *praecipit* praebeant, nec tamen multi nec optimi.

Ad Timol. II, 2: *utrorumque Dionysiorum*, praeter ea, quae Rinckius attulit exempla, nostrum locum satis excusantia, conferas quoque ea, quae Kritzius ad Sallust. Cat. XXX, 4 adnotavit.

Haec sufficiant Rinckio de singulis verbis respondisse. Longe quidem plura sunt, quae Rinckius in vitis accusavit; attamen multa sunt, quae vix refutatione egeant, alia, quod falsis nituntur librorum scripturis, alia, quod non satis recte explicata videntur, alia, quod ab ipso Rinckio iis exemplis, quae ex bonis attulit auctoribus, defenduntur. Tantum valuit in hoc viro veritatis amor, id quod non est celandum, ut nonnunquam contra se ipsum pugnare videatur. Sunt etiam, quae eam ob causam defendenda hic non putaverim, quoniam in quaestionibus meis criticis abhinc septem annis sunt refutata.

Alius praeter Rinckium, qui ex singulis vitarum verbis argumentum de auctore earum repetierit, non est; nisi forte ii hic nominandi sunt, qui non scriptis in vitas invecti sint, sed quos ego sermonibus in eas disputantes audiverim. Ex quibus uni viro, multum auctoritate cum apud me tum apud alios valenti, paucis de una quadam re respondere placet. Solet ille id quasi argumentum barbariei vitis objicere, quod in Hannib. XII, 2 *patres conscripti* insolenter nominativo casu, non vocandi sensu, quo solo inveniri putat in bonis scriptoribus, legatur. At, licet saepissime illa verba vocativo casu dicantur, tamen optimi quoque auctores aliis casibus usurparunt. Cfr. Liv. VIII, 5: *si tanta dementia patres conscriptos cepisset;* IX, 10: *Movit patres conscriptos tum causa, tum auctor;* XXII, 37: *magno opere se patres conscriptos orare;* XXXIX, 5: *quum gratias patribus conscriptis egisset;* cfr. Liv. VII, 41; XLII, 14; Sallust. Catil. XXXI, 7; Cic. in Cat. II, c. 6, §. 12.

At quid opus est multis de verborum singulorum minutiis disputare, quum totus dictionis color in vitis talis sit, ut nec Theodosii aevum, nec Taciti aut Suetonii tempora redoleat, sed satis clare ad Ciceronis Caesarisque aetatem legentium revocet animum. Nam alius est omnino

inferioris latinitatis color, quam classicae illius, quam dicunt. Haud quidem negandum est, sublime scripsisse Tacitum, haud male Suetonium aliosque, qui primis Caesarum saeculis floruerunt; attamen diversus jam sermonis color factus ab eo, qui rei publicae et Augusti temporibus vigebat. At vero quam longe alia est, eaque vitiosissima paeneque absurdior ea lingua, quae ultimis imperatorum saeculis valet; ita ut vix satis mirari possim audaciam vel temeritatem (venia sit verbo), qua Rinckius vitas excellentium ducum ad Theodosii aevum detrudere conatur. Quis in vitis omnium illarum rerum notas aliquas deprehendat, quibus inferioris linguae aetas insignis est? Num infinitivi historici usum, num adjectivorum et participiorum genere neutro pro substantivis positorum morem, num talium structurarum studium, quae poeticam redolent licentiam, quales posterior aetas in pedestri quoque oratione frequentat, in vitis invenias? Non translatarum in vitis vocum, non poeticarum locutionum, non contorti verborum ordinis falsum usum deprehendimus. Non valet in iis brevitatis nimiae cujusdam amor, qui in eo maxime cernitur, ut enunciata secundaria maximam partem non relativorum ope, sed breviori participiorum, adjectivorum aut substantivorum structura quadam exprimantur; ut verbum substantivum *esse* indicativa maxime forma elegantiae causa omittatur, et quae alia ad illam brevitatem spectant, qualem posterior aetas adamavit. Non regnat in vitis falsum illud inferiorum saeculorum studium fortissima quaeque, nimis gravia et splendida eligendi verba. Exstat in iis antiquior illa enunciatorum copulandi ratio, quae variis particulis et dicendi formulis efficitur, quales Cicero maxime adamat, ut illa: *nam, namque, enim, sed, autem, tum, interea, ex quo intelligitur, quo factum est*, et multa alia, nisi quod in vitis nonnulla talia etiam frequentiora quam apud Cic. exstant, id quod supra demonstravimus. Quae omnia serior aetas respuit, certe rarissime usurpat. Immo posterior aetas particularum ad connectenda inter se enunciata usum longe mutavit; partim enim, quo fortior oratio sit, sine parti-

cularum ope enunciata singula per se ponit, partim fortiores eligit voculas, pro *postea* et *tum* dicens *mox*, *at* pro *sed*, *sed* pro *que* et quae ejus generis alia sunt. Frequentat quoque inferior aetas eorum verborum formam, quae frequentativa vocatur. Adamat *et* pro *etiam*, intransitivis verbis poetarum more transitivam tribuit vim. Praepositiones minus in usum vocantur; praevalet dativi structura pro *a* cum *ablativo*, verba cum praepositionibus composita simplices casus saepius secum habent quam iteratas praepositiones eas, quibuscum composita sunt. Desunt haec fere omnia in vitis; nec eae proprietates in illis inveniuntur, quae posteriorum historicorum peculiares sunt, Sallustii, Taciti et quarum partem jam habet Livius. Non legimus in iis *miles*, *pedes*, *eques*, *hostis*, *Poenus*, *mortalis*, alia; non *ubi* et *postquam* pro *quum* frequentantur; ablativorum absolutorum usus non tam rarus, quam apud illos, qui magis in fine enunciatorum talem collocant structuram; quae omnia et alia multa nescio an vitarum scriptor ex illis historicis retinuisset, si post eos vixisset. Talis fere inferioris latinitatis imago, longe diversa ab ea lingua, quae in vitis regnat. Nec sane plura dicam, nec quae hic protuli mea omnia sunt; ad ea maxime expressi, quae Jahnius in censura mearum Quaestionum in diurnis suis 1840, p. 464 et 465 optime de hac re disseruit.

Veniant igitur jam illi, qui vitas inferioris aetatis esse clamant, et illa, quae diximus, posterioris aevi indicia in iis exstare claris testimoniis probent; illorum est probatio; nobis satis est pernegasse, quod jure possumus, inesse in vitis talia inferioris aevi signa, quae si inessent, non possent non facilia inventu esse.

Sed jam quaerent isti ex me vitarum adversarii, quomodo vitas, etiamsi Ciceronianae aetatis esse concedantur, *Cornelii Nepotis* possim efficere, quas codices Aemilii Probi esse tam aperte significent. In promptu est responsio.

Et Attici et Catonis vitam ex Cornelii Nepotis libro, quem de historicis Latinis conscripsit, exhaustam dicunt libri veteres. Nec sane est, cur de hac re fidem iis de-

negemus. Attici enim scriptor apertissimis verbis se Ciceronis et Attici aequalem familiaremque profitetur. Cfr. Attic. XIII, 7: *Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus. Saepe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus* XIX, 1: *Hactenus Attico vivo edita haec a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur.* Cfr. XVI, in fin. Vix autem alium ex Attici familiaribus hunc libellum scribere potuisse atque Cornelium Nepotem credibile est; nec sane quidquam unius cujusdam viri sententiae, Julii Heldii, tribuendum, Attici vitam spuriam esse ex locis quibusdam Plutarchi, Ciceronis aliorumque misere compilatam.

Immo miro modo omnia, quae in Attico narrantur, illorum temporum effigiem repraesentant, quam describunt; ita sunt singularia, multaque praeterquam nobis ignota, ita minuta, ita veritatis specie commendata, ut facile vera esse concedantur. Cum lingua tum res narratae ad Ciceronis tempora revocant. Quare absurdum est, talia velle accusare, quasi falsarius scripserit; isque sane audicissimus et importunissimus fuisset, quippe qui se Attici familiarem simulasset audacissimo mendacio. Sed scriptor se in omnibus hominem probissimum praebet, nec sane est, quod de ejus sinceritate dubitemus. Non falsarius Atticum scripsit nec Catonem et fides codicibus de Cornelio Nepote auctore eodem jure habenda, quo aliis codicum inscriptionibus credimus, nisi justa causa suspicionis subesse videtur. Cfr. de tota hac re Quaestt. meas critic. p. 52—64. Quae quum ita sint, quid justius, quam ceteras quoque vitas eidem Cornelio Nepoti tribuere auctori; quas vel in minimis rebus Attici vitae pares esse demonstravimus et quarum praefatio ad Atticum, nisi erro, eundem Tit. Pomponium est directa. Nec sane est, cur illam similitudinem magis ab eodem tempore, quam ab uno eodemque scriptore repetendam cum Beneckio censeamus; immo quae inter vitas omnes similitudo interest, in multis rebus minutis, singularibus et sane peculiaribus inest. Nec paucae hae sunt, sed multae; nec in verbis

solum et locutionibus, sed in rebus etiam et cogitatis. Quod eo magis mirandum, quod Attici vita non tam longa est, in qua vix omnes scriptor suas dicendi proprietates potuerit prodere. Quod testimonio sit, quam multa habeat hic scriptor in toto sermonis colore propria. Nec sane tam longi in illa demonstranda similitudine fuissemus, nisi in ea totius nostrae quaestionis dissolvendae certissimum remedium inesse putaremus.

Revocant quidem alia quoque in vitis excellentium ducum ad Caesaris Ciceronisque tempora; quae exponerem, nisi jam prius hoc fecissem in Quaestionibus meis p. 70 sqq. Pauca vero tum omisi, quae nunc addere tempus est. Paus. III, 6: *Est genus quoddam hominum, quod Ilotae vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit servorumque munere fungitur.* Cum hoc loco conferendus Livius XXXIV, 27, ex quo etiam posterioribus temporibus illorum sortem non omnino mutatam fuisse comperisse juvat. Ibi: *Ilotarum deinde quidam (hi sunt jam inde antiquitus castellani, agreste genus) transfugere voluisse insimulati*, sqq. Nec omittendum hoc vitarum loco, ex longe plurimis codd. scribendum esse *Ilotae*, quod etiam in Livio est. Alius locus hic est: Phoc. IV, 2: *Inde judicio, legitimis quibusdam confectis, damnatus traditus est undecim viris, quibus ad supplicium more Atheniensium publice damnati tradi solent.* Valebat igitur illo adhuc tempore undecim virorum institutum Athenis [1]). In his et aliis similibus locis praesenti tempore utitur scriptor, quo significet suo adhuc tempore mores et res, quae describat, existere. Nam quum talia instituta ab eo describuntur, quae suo tempore evanuerunt, satis id clare temporis praeteriti usu significat. Ita in Hannib. VII, 4: *Ut enim Romae consules, sic Carthagine quot annis annui bini reges creabantur.*

Sed quid multis opus est? Admittunt haec omnia

---

1) Poterant sane Schoemannus et Meierus (*Attisch. Prozess*, p. 68) nec non Fr. W. Ullrichius, cum de undecim virorum Atheniensium historia exponerent, ad hunc quoque vitarum locum respicere.

conjecturam de tempore, quo scriptae sint vitae, in universum magis, nec tamen accuratius illud ex iis definiveris. Unum tamen satis probant, libellum Theodosiano aevo nullo modo scriptum esse posse. At nostrum argumentum, a quo omnis nostra exorsa est defensio et in quo finietur, illud, ut vitarum excellentium ducum auctorem eundem cum Attici Catonisque scriptore esse demonstremus, longe strictius et fortius est. Demonstrat tempus, quo vitae scriptae sint, accuratissime; demonstrat auctorem, qui eas confecerit.

Possumus quidem huc addere alia quoque documenta, quibus efficiatur, quam verisimile sit Cornelium Nepotem librum de excellentibus ducibus Graecae gentis scripsisse. Sed haec omnia jam a me exposita sunt in Quaestionibus criticis de auctore vitarum p. 75 sqq., ad quem locum lectorem remittere licebit. Nec sane est, quod, quae tum scripsi, nunc retractem immutemve, praeter unum, quod verba praefationis *exorsus sum* minus tum recte ad ea volumina, quae prius jam de illustribus viris Nepos edidisset, respicere putaram; nam pertinent verba potius ad id vitarum exordium, quod ipsa praefatione fecerat. Nec tamen uno hoc detracto argumento cetera minus valebunt; immo stabunt sic quoque, nec puto tam facile ea refutari posse, quippe quae rerum veritate nitantur.

Accedo nunc ad ultimum hujus dissertationis locum, nec sane levissimum. Refutanda enim restat una haeresis virorum doctorum, quae nostrae sententiae perniciosissima fieri posse videatur, eorum, qui vitarum argumenta quidem a Cornelio Nepote profecta, formam tamen operis non Nepotis, sed nescio cujus Aemilii Probi, qui vitas Cornelianas in compendium redegerit, esse contendant. Quorum virorum sententia sane verenda est ne latius serpat compluriumque occupet animos. Nam habet illa primo adspectu, quo se commendet iis, qui totam nostram de auctore vitarum litem non penitus perspexerint. Aliquid tribuit illa opinio Cornelio Nepoti, nec eum omnino ex possessione vitarum excludit; nec vero Aemilio Probo partes omnes operis denegat. Ita utrique videtur satis-

facere. Quae causa quoque videtur mihi esse, ex qua nunc complures ad hanc sententiam recurrerint viri docti. Nec equidem, si pauca modo ejus rei indicia haberem, ab ea omnino abhorrerem. Quum vero illa opinio ne minimis quidem indiciis ex libro ipso depromptis commendetur, immo toti vitarum rationi penitus repugnare videatur, omnibus, quibus possim viribus, refutandam eam esse censeo, ne eo abeat tota denique de vitis lis, ut species veritatis quaedam repellat veritatem ipsam. Attamen utinam satis equidem possim tali resistere opinioni! Nam difficile est pugnare contra eos, qui sui occasionem non dent; qui contendant, sed non probent; qui argumenta non proferant, tamen sententiam suam unice rectam perhibeant. Pauca quidem *Nissenius* protulit, quibus illam fulciret suam sententiam, plura vero minitatus est; unum illius generis locum tetigit Beneckius. Quae vero protulerunt viri illi dd. non tanti puto, ut evincant id, quod evincere velint. Quae quidem deinde refutabo.

Nunc primum illud contra illorum sententiam afferam, quod totius voluminis magnitudo tanta est, ut ab epitomatore Aemilio Probo, siquidem is fuit, quod minime concedendum est, vix multum possit detractum esse. Centum et sexaginta fere totus excellentium ducum liber continet capita; nullus vero ex singulis Livii libris tantus; et pauci veterum librorum majores; quae res demonstrat, qualis fere voluminis apud veteres magnitudo fuerit. Nec id concedendum, epitomatorem ex singulis pluribus Nepotis libris unum volumen confecisse; nam ex inscriptionibus Attici et Catonis apparet, Cornelium uno volumine exposuisse historicos Romanos. Quis igitur recte eum excellentes Graeciae duces pluribus voluminibus exposuisse dicere possit? Quid, quod epitomatores fere libros singulos eorum scriptorum significare inscriptionibus certe solebant, quos breviores facerent; Justinus certe libros singulos Trogi servavit in inscriptionibus; at quam exigui illi singuli Justini libri, ita ut facile concludere possimus, quantum singulis ille Trogi voluminibus detraxerit, facta ejus magnitudinis ratione, qualis communis fere est veterum

voluminum. Ex his, quae modo diximus, apparebit etiam, quid significare voluerit Nepos in praefatione, ubi de voluminis magnitudine dicit, de qua re infra pauca addam.

Jam vero alterum istorum opponam sententiae, quod forma Attici Catonisque cum illis excellentium ducum vitis comparata alia omnia quam de compendio cogitare suadet. Attici vitam qui epitomen longioris cujusdam vere Cornelianae vitae esse diceret, nemo fuit; nec puto quemquam futurum, qui dicat; nam et quae scriptor in illa de sua cum Attico familiaritate praedicat et quae insunt res et quae valet in ea scriptura, haec omnia talia sunt, ut ab ipso Attici familiari Cornelio Nepote illa ipsa forma vitam editam esse probent. Attici vita primum a Cornelio edita duodeviginti capita continuit, ad quae Attico mortuo quatuor denuo addidit capita. At vero Attici familiarissimi sui vitam si ea magnitudine composuit, quae sane est mediocris, haud exspectaveris ab eodem Cornelio aliorum virorum vitas longiori scribendi filo exaratas fuisse. Immo si Catonis vita integra est Nepotis, quod et vitae dictio et verba ultima ejus probant, satis apparet ipsum Cornelium vitas suas breviori quodam dicendi genere in illis de viris illustribus libris conscripsisse. Ex his igitur, quae dixi, facillima est de ceterarum vitarum magnitudine conclusio, quas certe haud longiores quam Attici, nec breviores quam Catonis vitam scribi potuisse a Nepote recte suspicatus fueris. Et ita sane est. Duae longissimae vitae dena terna continent capita, nulla vero vita brevior est quam Catonis. Et quod sane demonstrat, habuisse scriptorem certum quoddam studium haud nimis longas vitas, sed ea fere longitudine, qualem et ex Attici et Catonis forma concludas, conscribendi, varii exstant scriptoris loci, ubi aut excuset dicendi brevitatem, aut defendat consilium paulo fusius scribendi, ita ut facile cognoscas, regnasse in illis vitis illustrium virorum certum quendam scribendi modum et lectoribus ipsis notam quasi vitarum mensuram. Cfr. Alcib. II, 3: *quae referremus, nisi majora potioraque haberemus*; Alcib. XI, 6: *sed satis de hoc, reliquos ordiamur*; Timoth. IV, 2: *Timothei*

autem moderatae sapientisque vitae quum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti; cfr. Epaminond. I, 1; Pelop. I, 1; Datam. I, 2: *de quo hoc plura referemus, quod et obscuriora sunt ejus gesta pleraque, et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat, acciderunt; quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.* Cfr. praefat. in fin.; Epamin. IV, 6. Ex quibus omnibus locis quid clarius apparet, quam habuisse scriptorem certum suum consilium haud nimis diffuse scribendi; saepeque haesisse, quomodo id aptissime institueret, ne aut obscurior fieret, aut instituti sui immemor in historiae videretur abire amplitudinem. Nec sane omittendum est id, saepius in talibus locis Graecas litteras opposuisse scriptorem suis vitis, et latinos imperitiores lectores doctioribus, qui Graeca intelligerent. Nullo vero loco, quod sane exspectaveris, si epitomator scriberet, ad Cornelium provocat, quem breviorem fecerit.

At isti epitomes defensores varia epitomatorum genera esse dicunt, nec sane opus esse, ut epitomator nominet eum, quem sequatur. „Primum enim, inquit Nissenius, de rebus, quae tractantur, possunt diligenter vestigiis auctores persequi, possunt vero etiam alia prorsus omittere, alia rursus addere ultro; de persona autem, ex qua res dicuntur, omnia aut in auctoris persona, aut in sua proferunt, possunt vero etiam modo auctorem suo nomine facere loquentem, modo ipsi dicere, sive aperte, sive etiam tacite, ut tu unum opineris verba facere, ubi duo sint. De oratione denique possunt verbis uti omnino suis vel auctoris vel utrumque, atque res gestas ita narrare, ut singulae non inter se cohaereant, aut ut continua oratione aptae aliae ex aliis et nexae sint, aut denique medium quoddam genus adhibere modo perpetui et compositi, modo interrupti ac dissipati sermonis.“

Primum quidem Nissenius vellem exempla attulisset multiplicium illorum, quae fecit epitomatorum, generum; nam equidem ignoro. Justinus Trogum nominat auctorem, quem sequatur; alii vero epitomatores non tam varium

sequuntur dicendi genus, ut Nissenius magis sibi finxisse, quam ex rerum exemplis deprompsisse videatur suam epitomatorum imaginem. Sed sit sane tam varium illud hominum genus, et tam absconditum; ne sic quidem concedo de vitis excellentium ducum illud, quod probare volunt isti. Proferant certos locos, quos epitomatoris manum perpessos esse accurate demonstrent. Nam, quos protulit Nissenius et Beneckius, nihil probant. Protulerunt autem hosce paucos. Gravissime accusat Nissenius Epaminond. I, 1, 2: *De hoc priusquam scribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni. Quae omnia apud Graecos et grata et laude digna ducuntur.* „Quid tandem dicemus? inquit Nissenius; ipsum scriptorem oblitum fuisse, quae antea in praefatione posuisset, an lectores opinatum omnino jam memoria deposuisse, ita ut iterum eos de hac re monere opus videretur?“ Sic alia similia Nissenius de loco. Sed quaero, num verisimile sit, epitomatorem, qui breviora facere solet, quae invenit, etiam hoc loco repetiisse, quae jam in praefatione erant? Ita potius dilatator, non epitomator vitarum dicendus esset. Attamen Cornelium Nepotem non est, quod miremur, simile aliquid, quod jam in praefatione monuerat, hoc loco repetiisse; quippe hoc demonstrat, quam cordi fuerit Nepoti, ne lectores temere judicarent cum de Graecorum imperatoribus ipsis tum de rebus a se narratis; demonstrat vero etiam, qualibus fere lectoribus scripserit Nepos suas vitas, scilicet imperitioribus Romanis ex vulgo. Quin, quod Nissenium omisisse miror, in eadem Epaminondae vita paulo infra, II, 3, recurrit eadem fere sententia, id quod satis probat, quantum huic rei bene inculcandae tribuerit scriptor. Ibi enim: *Atque haec ad nostram consuetudinem sunt levia et potius contemnenda; at in Graecia utique olim magnae laudi erant.* Nec illud me movet, quod priori loco I, 2 accusat Nissenius illud *quae omnia.* Miratur, praegressis

duabus modo rebus ita pergere potuisse scriptorem; putat etiam, epitomatorem hoc loco praetermississe quaedam. Immo id tenendum erat, *musicen* habere varia sane sua genera, ita ut rectissime scriptor dicere posset *quae omnia*, ut etiam in praefatione §. 5 posuit. In universum hic locus ita scriptus est, ut, si ex sermone judices, non possit ab alio, quam ab eo auctore profectus esse, qui praefationem composuit. Sed etiam aliam ob causam momenti ad nostram quaestionem est. Nam jam inde a Nerone imperatore magis invaluit apud Romanos mos, ut musica et saltatione non omnino abstinerent principes Romani et, quod gravissimum est, alter locus II, 3, ubi de philosophia sermo est, minime potest ab homine scriptus esse, qui post Ciceronem floruit; sed optime pertinet ad Nepotem, quem philosophiam a Romanis abesse voluisse, mirum ejus demonstrat fragmentum apud Lactant. Institt. III, 15, 10. Vide p. 160. Quare etiam cautius judicat de Attici philosophiae studio, XVII, 3.

Alter locus, quem ad suam de vitarum compendio probandam sententiam attulit Nissenius, in eodem Epam. I, 4 est: *Quare dicemus primum de genere ejus; deinde, quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus, et si qua alia memoria digna erunt; postremo de rebus gestis, quae a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.* Male habet Nissenium hoc loco, quod scriptor quaedam de ratione sua vitae enarrandae contra consuetudinem sit praefatus; gravius vero etiam fert, quod, quum dixerit de genere se esse dicturum, nihil protulerit, quam Epaminondam natum esse patre, quo dixerit, genere honesto. Addere debebat, quod adjungit scriptor, pauperem Epaminondam jam a majoribus fuisse relictum; nam hoc quoque ad genus describendum pertinet. Equidem nihil miror, brevissime illud de genere a scriptore absolutum esse; magisque mirarer, si multis exposuisset; nec tamen quum indicaret, quibus maxime rebus Epaminondam illustrandum censeret, genus debebat omittere. Quod vero porro accusat, nihilo secius a scriptore propositum non esse servatum, sed omnia ita mixta,

ut vel Leuctricam pugnam commemorare omitteret, id tantum abest, ut in epitomatoris nescio cujus culpam transferam, ut id ipsum maxime Nepotem auctorem redolere dicam, qui etiam in Attico et in ceteris vitis non omnia strictius ad tempus exposuerit, sed liberius in singulis virtutibus praedicandis arripuerit, quae ad eas celebrandas maxime facerent. Cfr. Quaestt. meae crit. p. 55. Eodem igitur modo Epaminondae vitam composuit; attamen ne sic quidem omnino oblitus est eam rationem, quam ab initio sibi proposuerat, liberius tantum in ea versatur. Nec verum est, quod Rinckius et Nissenius presserunt, a scriptore clarissimam Leuctricam pugnam commemorari praetermissam esse. Commemoravit non semel, sed quinquies; attamen non ita, ut de industria res singulas gestas ordine enumeraret, sed magis in singulis animi virtutibus illustrandis facta afferret, sicuti sane mos ejus fert. Cfr. Epam. V, 6, ubi non quidem nomine, re tamen Leuctrica pugna memoratur; Epam. VI, 2: *Sed maxime ejus eloquentia eluxit Spartae [legati] ante pugnam Leuctricam, quo cum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna.* Ibid. X, 2: *Namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est.* In Pelopid. IV, 2: *Namque Leuctrica pugna imperatore Epaminonda hic fuit dux delectae manus, —.* Agesil. VI, 1: *Interim accidit illa calamitas apud Leuctram;* VII, 1: *Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt.* Videmus vitas falsissime incusari, quasi illa pugna in iis sit praetermissa, cujus scriptor de industria multis locis mentionem fecit. Qui vero pugnae descriptionem a vitarum nostro scriptore desiderat, meminerit, quid ille in Hannibal. VI, 4 ipse dixerit: *Longum est enumerare proelia.*

Accedat tertius jam locus, quo planius jam epitomatorem monstrari putat Nissenius. Is locus est extrema

praefatione hic: *Sed hic plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum;* unde recte concludi posse videtur Nissenio, „auctorem antequam ad scribendum animum adpelleret, certum quendam ante oculos habuisse numerum vitarum, quae omnes necessario exponendae essent, minimeque ex ejus voluntate pependisse, quas scriberet. Qui quidem quum magnitudine voluminis impediretur, quo minus multus esset in praefatione, jam quaerit Nissenius, cur non omisit potius leviorem aliquam vitam, ut melius accuratiusque de fine et de fontibus libri aliisque rebus, quas in praefatione desideramus, lectorem docere posset? cur non plures potius missas fecit vitas, ut reliquas copiosius illustraret ornaretque, praesertim quum tamen aliquot gravissimos imperatores, velut Periclem, praeterierit silentio?" Quae quomodo Nissenius scribere potuerit, vir cetera acutissimus, miror. Quid enim illud est, Cornelio Nepoti praescribere velle, quas exponeret vitas, quas omitteret? ab eo postulare, ut in praefatione plura de fine et fontibus libelli praemitteret, quam quae praemisit, id quod omnino ad recentiorum historicorum rationem est, qui fontes indicant? Cornelium vero Nepotem, quem jam libelli auctorem nominare nullus dubito, qui certo cuidam lectorum generi suas vitas conscripsit, eique haud sane docto, quid juvabat de fontibus disputasse graecorum auctorum in praefatione? At ne sic quidem passim eos nominare neglexit. Periclem autem ab eo praetermissum esse non puto, sed in libello de oratoribus Graecis descriptum. Deinde vero, quidni certum quendam vitarum numerum Cornelius Nepos ante oculos habuerit, quum ad scribendas vitas excellentium Graeciae ducum se conferret? An temere, quos scripsit viros, elegisse dicendus est scriptor, ut in memoriam inciderunt fortuito clara quaedam nomina? Conferendus vero etiam locus erat Nissenio Epam. IV, 6: *Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scri-*

ptores ante nos explicarunt. — Videmus ex hoc quoque loco, habuisse scriptorem certum numerum vitarum in animo exponere, id quod jure exspectaveris a diligente scriptore. Docet vero etiam locus, quid in praefatione scriptor sibi voluerit scribens de magnitudine voluminis; scilicet ex nostro quidem judicio libellus parvus, ad Romanorum vero scribendi rationem volumen haud minimum recte videatur, id quod bene me docuit Nissenius, in alia omnia qui prius aberrassem.

Ad unam praeterea rem respondendum videtur Nissenio, cui quidem rei maximum ad totam hanc quaestionem dissolvendam momentum tribuit. Est illud, quod in Plutarchi comparatione Pelopidae et Marcelli c. I Nepoti talem de Hannibalis victoriis sententiam tributam esse dicit, cujus contraria omnino in his vitis, Hannib. V extremo, legatur. In Plutarchi loco haec sunt: *Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδ' ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος· ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.* In vitis vero ita: *Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit. Hic invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem* sqq. — Qui duo loci, et Plutarchi et vitarum, vix satis inter sese conciliari posse videntur; unde probet aliquis, aut Plutarchum falso illa de Nepote retulisse aut Hannibalis locum non ita a Nepote scribi potuisse; hoc, quod Nissenius ex loco concludit; nam illud negat, falso de Nepote scribere potuisse Plutarchum, cujus quidem in talibus maxima sit auctoritas. Nec equidem negaverim; vere narrasse puto Plutarchum, in universum quidem; attamen ne sic quidem locum in Hannibale V non Nepotis esse concedo. Nam rectissime suspicatus sis, illud quod de Hannibale victo ex Nepote retulit Plutarchus, non in Hannibalis vita, sed in Marcelli eum invenisse. Namque

incertum esse non puto, quin Nepos Marcelli quandam scripserit vitam. In illa igitur, ubi laudandus maxime Marcellus erat, tale quid haud dubie protulit Nepos, quamquam ne id quidem constat, quam caute fecerit, ita ut fortasse Plutarchus paulo audacius statuisse videatur, qui Nepotem inter eos retulerit, qui Hannibalem a Marcello victum scripsissent. Potuit igitur sane Nepos de Marcello in vita ejus quaedam ita praedicare, ut eum diceret aliquoties summo imperatori Hannibali vel restitisse vel eum repressisse; nam vere victum a Marcello Hannibalem in acie esse, ne ex Livio quidem (XXVII, 14), paulo studiosius pro Marcello scribente, satis recte concluseris; nam facile cognitu est, aequo fere Marte inter se dimicasse; ita enim pugna afflictus erat Marcelli exercitus, ut ne sequi quidem abeuntem sequenti die Hannibalem potuerit. Ipse quoque Plutarchus l. l. illam, quam ex Livio, Caesare et Nepote attulit, sententiam, mox restringit, nec scio an ad ipsius illius Nepotis sententiam haec expresserit: *μεγάλην δ' αὗται ῥοπὴν οὐδεμίαν ἐποίησαν· ἀλλ' ἔοικε ψευδόπτωμά τι γενέσθαι περὶ τὸν Λίβυν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς ἐκείναις.* Ad quae verba melius vellem attendisset Nissenius. Illa igitur, quae haud infeliciter contra Hannibalem egit Marcellus, in Nepotiana Marcelli vita invenit Plutarchus et ita, ut supra vidimus, in partes suas traxit, licet idem Nepos in Hannibale aperte Hannibalem in Italia invictum semper fuisse scripserit, ut fuit. Immo id ipsum maxime ex Nepotis more fuisse videtur, ut, si duos imperatores magnos celebrandos haberet sibi in vita oppositos, utrumque ita laudaret, ut nescires, utri palmam deferret, et ea etiam de utroque praedicaret, quae inter se pugnare viderentur. Hoc concludo ex vitarum nostrarum indole. Ita in Themistocle I, 1 praedicat: *adeo, ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur.* Attamen in Aristidis vita, I, 2: *In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae*, et quae sequuntur. Memorabilis locus in Thrasyb. I, 2: *Primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: quae ille universa naturali quodam*

bono fecit lucri. Haec de Thrasybulo praedicat imminuens laudes Alcibiadis, licet in vita Alcibiadis hunc maximis extulerit laudibus. In talibus igitur dijudicandis cautius versandum; quare verisimillimum est, Nepotem de Marcello quaedam protulisse, quae Hannibalis laudibus paulo essent contraria; quanquam in ipso Hannibale hunc, quod sane poterat, invictum semper in Italia fuisse praedicavit. Amissa autem ipsa Marcelli vita omne de hac lite judicium lubricum est; illud certum, nihil effici ex loco Plutarchi, unde vitas nostras Cornelio abjudicandas esse probes. Quare in neutram partem haec res momentum habebit, et omnis rei dijudicandae ratio in certioribus debebit argumentis versari, et quidem talibus, qualia in nostra dissertatione persecuti sumus, maxime ex ipsa lingua vitarum et ex comparatione cum Attici vita depromptis.

Jam ultimo loco Beneckio respondendum est, qui loco Miltiad. V, 1 sibi epitomatoris vestigia reperisse visus est; nam alios locos, quod ego sciam, haud nominavit. Beneckius autem p. 17 sic: „Quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valuerit. Hoc loco miror neminem criticorum offensum esse. Quomodo enim haec verba cum iis, quae antecedunt, recte conciliari possunt? Equidem profecto non intelligo, quemadmodum, cum manus Atheniensium mirabili flagraret pugnandi cupiditate, eo sit factum, ut Miltiades plus valeret, quam collegae. Itaque epitomatorem cum nimium resecuisset ne ipsum quidem arbitror sensisse haec verba antecedentibus nequaquam sic satis respondere.“ At equidem minime miror, neminem criticorum hoc loco offensum esse; scilicet melius illi omnino quam Beneckius ad antecedentia respexerunt, ex quibus facile perspectu est, quam bene omnia cohaereant, nihilque posse resectum esse. Nam Milt. c. IV legimus decem praetores creatos fuisse ab Atheniensibus, inter quos magna fuerit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus. Unum vero Miltiadem maxime nisum esse, ut exirent. Jam vero c. V haec sequuntur: *Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt, quae manus mirabili flagrabat*

pugnandi cupiditate, quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valuerit. Quae verba sane optime respondent antecedentibus c. IV; nam pugnandi civium cupiditas eo valuit, ut plus valeret Miltiades, qui jam prius pugnandum extra moenia censuerat, minus collegae, qui intra moenia restandum putarant. Jam quaero, quid in loco aut obscuri aut dissoluti et imperfecti?

Jam vero quum isti epitomes defensores ne unum quidem locum sententiae suae indicem demonstrare possint, nam quos afferant nihil valere facile perspicitur, quid jam sibi volunt? At nos contra non pauca habemus argumenta, quae vitas non in compendium redactas esse probent. Nihil interrupti in vitis, semper stili ejusdem aequabilitas; et, quod jam illis opponendum, in Attico eaedem locutiones, eadem cogitationum conjunctio, ita ut etiam tales locos, quos illi ab epitomatore corruptos dicunt, simillimis ex Attico depromptis locis defendere possis. Hannib. V, extr.; cfr. Attic. XI, 3. Ita etiam contra illos epitomes defensores Attici cum ceteris vitis comparatio firmissimum propugnaculum est. Nam quum in Attico easdem maxime copulandi formulas, easdem periodos, easdem prorsus locutiones, sane egregias et multas, inesse quam accuratissime in prioribus probaverimus, ad quae omnia lectores diligenter respiciant etiam atque etiam peto, quid jam rectius inde concludas, quam illas vitas epitomatoris manu non esse corruptas? Quid enim facilius epitomatoris stilo deletur, quam conjunctionum copula, qua tota oratio connectitur, quam periodorum continuatio, qua scriptum excellit, quam locutionum proprietas, quae scriptori alicui peculiares sunt? Haec omnia quum in vitis adhuc exstare ubique nec non in minimis rebus Attici probet similitudo, ne id quidem concedo, quod illi viri facilius fortasse obtineri posse putent, singulis tantum locis vitas ab epitomatore esse circumcisas.

Habemus unum praeterea argumentum, certe haud negligendum, quo illam de epitomatore Aemilio Probo sententiam rejiciamus. Nam miro modo non paucos habemus locos in vitis, quos scriptor ex Graecis fontibus

ita convertit, ut suam quidem dicendi rationem servaret, tamen Graeca ad verba fere sequeretur. Certe vix satis explicari posset, si epitomator has decurtasset vitas, qui esset factum, ut omnes illos locos intactos relinqueret ex Graeco conversos. Quod argumentum hic longius persequi in animo mihi non est, quippe quod jam prius exposuerim in Quaestionibus meis p. 48 et 178. Nec me movet, quod Nissenius contra monuit, etiam in Justino locos legi, qui simillimo modo in Ephori fragmentis narrentur. Unum tantum attulit Justin. III, 4, 1—7, ad quem loc. cfr. Duebner. Et sane possunt in Justino singuli existere loci, quos quidem Justinus minus contraxerit. Sed in vitis excellentium ducum totae vitae sunt ex Graecis desumtae et Graecis auctoribus ad singula fere verba respondentes, ut vita Pausaniae ex Thucydide, vita Agesilai ex Xenophonte hausta est. Cfr. ad hunc locum eos scriptores, qui de fontibus vitarum exposuerunt, Wichersium, Hiselyum et Freudenbergum, nec non A. Ekkerum, cujus librum, a societate Rheno-Trajectina secundo praemio ornatum, insertum invenies Novis actis litterariis societatis Rheno-Trajectinae, Part. III, ann. MDCCCXXVIII, inde a p. 191. Quem librum nuper mihi suppeditavit vir longe humanissimus *Bardilius.* Prius in Quaestion. crit. p. 118, inductus errore Daehnii, librum illum typis exscriptum esse negaveram.

Desinant igitur jam isti epitomes defensores suam commendare sententiam; aut certiora saltem afferant argumenta. Nec illud in partes suas trahant, quod insunt in vitis errores quidam historici, quos et ipse committere potuit Cornelius Nepos, et quos epitomator cur commiserit, aliena sequens, non intelligitur. Sunt vero longe pauciores, quam ii putant, qui vitarum fidem cum historicis Graecis, adhuc superstitibus, cum Thucydide, Herodoto aliisque compararunt. Nam facile apparet, istos dijudicatores subtilius aliquanto vel in levissimarum rerum discrimen inquisisse, nec satis illud tenuisse, Nepotem magis res quam verba spectasse eorum ducum, quos sequeretur, et liberiori modo ea tractasse, quae in Graecis invenisset,

satis securum de illis minutiis, quae doctos nunc viros passim vexant. Multis etiam locis tales auctores secutus est, quos nobis nunc invidia temporum inspiciendi potestatem non dedit. Qui non pauci sunt, ex iis vero longe gravissimi Ephorus et Theopompus. Quare concedendum quidem est errores subinde commississe Nepotem, ut alii fecerunt gravissimi scriptores, et Livius et etiam Cicero; attamen talia non posse tantum valere, ut libellum aut inferioris aetatis dicamus aut ab epitomatore inquinatum. Itaque jam totum hunc de fontibus vitarum locum missum faciam, quippe qui exposita illa de lingua vitarum disquisitione vim jam ad auctorem earum exquirendum non habeat. Quare supersedeo etiam Rinckio respondere, qui cum magna doctrinae copia de fontibus vitarum in prolegomenis suis disseruit in hunc maxime finem, ut auctorem et Plutarcho et Diodoro Siculo vel in singulis saepe verbis usum fuisse demonstraret. Quod quidem viri doctissimi conatum mihi satis irritum esse videtur. Nam cum Attici scriptorem eundem esse atque ceterarum vitarum certissimis possit demonstrari argumentis, quis non jam eorum locorum consensum, qui in vitis vel Plutarcho vel Diodoro Siculo respondent, vel ex constanti quadam rerum memoria vel ex communi quodam fonte, quo utrique et Nepos et Plutarchus Diodorusque usi sint, derivandum potius censeat? Possem vero etiam, si longus esse vellem, quam multis rebus inter se vitarum auctor et illi scriptores rebus ipsis narratis differant, satis evincere. Quid? quod jam illud sane mirandum esset, si vitarum auctor, cum illorum gravissimorum scriptorum usum fecisset, eos ne verbo quidem nominasset, quum quidem Thucydidis, Xenophontis, Ephori, Theopompi, Timaei, Polybii aliorumque plurium et quidem, qui ante Nepotem floruerant, paene omnium gravissimorum auctorum luculentam fecerit in vitis mentionem? Quamquam bene scimus, quomodo hoc explicet Rinckius. Ne tamen unquam miram illam suam de auctore vitarum sententiam hominibus doctis se persuasurum esse speret, qua Aemilium Probum Theodosii Magni aequalem vitas excellentium du-

cum ita scripsisse putat, ut Cornelii Nepotis ille personam omnimodo in iis simularet et denique in epigrammate notissimo illo indutam sibi personam detraheret? Cfr. ea, quae de hac sententia judicavit Jahnius in diariis suis 1840 p. 448 sqq.

Jam vero finituri hanc de vitis dissertationem quid de misero illo faciamus Aemilio Probo, contra quem totam nostram defensionem institutam esse minati eramus jam in libri praescriptione? Abeat ille, et expellatur ex ea possessione, in quam injustissime vel ipse invasit vel ab indoctis librariis inductus est; quanquam ipse fraudem committere noluisse videtur. Nihili autem est sententia Nissenii, qui duos fuisse statuit Probos, alterum nescio quem Aemilium Probum vitarum epitomatorem, alterum Probum illum epigrammatis scriptorem, quem librarium fuisse Nissenius ex ultimo disticho haud male conjicit. Concludit vero ex praenomine Aemilii, quod in titulis codicum Probo praefixum legitur, non posse eundem esse atque illum epigrammatarium, quem dicam, cui hoc praenomen inditum non legatur. Attamen quam subtilia haec sunt! Quam artificiosa et contorta haec conclusio! Mirum fingit Nissenius casum, ut ille epigrammatis scriptor idem fortuito habuerit Probi nomen atque epitomator Aemilius Probus. Quam multa, quam nova talibus possumus efficere fictionibus.

Immo ipsum illud epigramma, quod in non paucis codicibus vitis affixum est, demonstrat Aemilii Probi nomen alius hominis esse non posse, quam illius Probi, qui se in epigrammate nominavit; habet vero etiam talia illud carmen, unde concludi possit, quomodo Probus ille in possessionem venerit vitarum. Quid, quod egregie quoque testatur, quam falso nomen illud auctoris in fronte codicum gerat Aemilius Probus, et qui fere fuerit homo. Ipsum apponam carmen:

Vade liber noster, fato meliore memento.
    Cum legat haec dominus, te sciat esse meum.
Nec metuas fulvo strictos diademate crines,
    Ridentes blandum vel pietate oculos.

Communis cunctis hominem sed regna tenere
Se meminit. Vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles fragili tectura libelli:
Theodosio et doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum
Tunc domino nomen: me sciat esse Probum.
Corpore in hoc manus est genitoris [1]) avique meaque:
Felices, dominum quae meruere, manus.

Quo in carmine quum semet ipse Probus quidam nomine nuncupet, dicatque librum suum, quis jam dubitet, quin idem sit ille Probus, qui in fronte codicum legitur, Aemilius praenomine intelligendus? An miro quodam casu cum Nissenio duos fuisse Probos statuamus, quorum librarius forte idem cum auctore haberet nomen? Nescio an homo ille ita malorum versiculorum promtus artifex etiam de miro hoc casu quaedam indicasset. Attamen non ita est; quod jam ipsis codicum inscriptionibus satis declaratur. Nam in octo fere codicibus, quos Rothius nominat p. 146 (sed suspicor plures quoque esse cum eodem Rothio), carmen illud fini excellentium ducum affixum est, in nullo Attici et Catonis vitas subsequitur. In quatuor autem ex illis codicibus subscriptio sequitur distichis illis postposita, quae *Aemilium Probum* aperte libri auctorem nominat. In longe optimo codice Guelph. sic est juxta infra versiculos subscriptum: *Aemilii Probi de excellentibus ducibus exterarum gentium liber explicit.* In ceteris tribus similia fere subscripta sunt. Haec vero de Aemilio Probo quod denique infra epigramma sunt posita, quid apertius probant, quam a librariis scriptorem epigrammatis eundem illum Aemilium Probum intellectum esse? Unde autem librariis innotuerit, Aemilii praenomen illum habuisse Probum, quis exquirat? Puto ex subscriptione quadam nominis cognitum illud esse, et ab hominibus malè doctis, librariis scilicet, qui auctoris nomen vitis praepositum non viderent, pro veri auctoris nomine praefixum esse. Ita suspicari possumus; pro vero affirmare rem tam dubiam quis ausus

1) In nonnullis codd. legitur: *genitricis.*

sit? Certe minus accurate disticha illa perlegenti et veri auctoris nomen ignoranti librario alicui facile erat suspicari, fateri se velle epigrammatarium illum in versiculis illis auctorem libri. Nam dicit ille satis audacter: *Vade liber noster*, et quae sequuntur; jam additur illud: *Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum tunc domino nomen*, quadam cum verecundia prolatum, quam saepe scriptores simulant [1]). Talia videntur nescio quem librarium ita fefellisse, ut per errorem Aemilium Probum auctorem scriberet, qui error ex uno illo codice, ex quo ceteri fluxerunt (id quod lacuna demonstrat in Lysandro), proveniens occupavit omnes libros manu scriptos, per longa serpens tempora.

At quam falso hic Probus auctor vitarum nominetur, jam epigramma illud testari poterit, ex quo satis elucet, ne voluisse quidem illum Probum ipsum sese pro vitarum auctore vendere, quum apertissime qualis fere homo sit profiteatur. Non poterat ille in imperatorem ipsum mendacio uti, quod audacissimum fuisset, nec puto eum, si voluisset, ultimum scripsisse distichon, quod quidem demonstrat Probum Theodosio corpus quoddam, sine dubio vitarum nostrarum, obtulisse, conscriptum et suis et patris (seu matris) et avi manibus. Quare suum quoque librum appellat, non qua composuerit auctor, sed qua conscripserit librarius. Fortasse amplius erat illud corpus, plura complectens quam nostras vitas, quippe quod jam avus et pater confecerint. Et poterant illi jam mortui esse, quum librum illum Probus Theodosio imperatori mitteret. Videtur autem dono obtulisse illum librum imperatori; quare premit illud, librum suum esse, possessorem scilicet se intelligens. Quoniam possessor libri erat, excusat quoque fragilem nec satis ornatam tecturam. Auctorem autem se dicit non libri, sed doni. Fortasse desideraverat Theodosius illum librum, quem possidebat Probus. Obtulit igitur et tam prospera oblata occasione imperatori in fine libelli

---

1) Nissenii explicationem vocis *paulatim* ut probarem, adduci non possum.

versiculis illis se commendare haud oblitus est. Ita fere sentio de epigrammate illo, ita explico; quae explicatio mea etsi in rebus tam dubiis incertior sit, tamen id facile obtinebit, Probum illum librarium fuisse, et, ut ex codicum subscriptione apparet, ipsum illum Probum, qui vulgo vitarum auctor perhibetur. Num vero ille Aemilius Probus in corpus vitarum, a se conscriptum Theodosioque oblatum, subinde menda quaedam suaeque barbariei verba intulerit, difficile indagaveris, quanquam in singulis paucis concedi possit. Illud tamen certum est, vix multa ejusmodi esse, minimeque vero concedendum esse, eum in compendii formam vitas redegisse.

Quare jam ita finiam totam hanc dissertationem, ut Aemilium Probum ex injusta possessione expellendum, Cornelium Nepotem in sua restituendum censeam. Uter vero vicisse debeat, judices aequi examinent.

INDEX ARGUMENTORUM,

QUAE IN DISSERTATIONE DE CORNELIO NEPOTE CONSCRIPTA INSUNT.

Lipsiae, typis Guil. Vogelii, filii.

